



Hd. 195.

FRID. WILH. PESTELII
J. V. D.
EJUSQUE ET PHILOSOPHIAE MORALIS
IN ACADEMIA ERNESTINA P. O.
PROLEGOMENA
JURIS NATURÆ
ET
GENTIUM.
IN USUM AUDITORUM.

Nunquam aliud natura, aliud sapientia, dicit.

JUVEN.



LEMGOVIÆ
APUD VIDUAM MEYERIANAM.
M D C C L V I.

FRID. WILH. PESTELI
J. N. D.
IN ACADÉMIA ERISTINA F. O.
PROLEGOMENA
JURIS NATURÆ

Series prolegomenorum

- Caput I. De Lege morali, generatim exponet.
- Caput II. De lege morali naturæ.
- Caput III. De Jure naturæ cogente.
- Caput IV. De Jure Gentium.
- Caput V. De Jure positivo.

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE





PROLEGOMENORUM

Caput I.

LEX MORALIS.

Sect. I.

Legis moralis notio.

a) Uti regula (*norma*) est *propositio enun-
tians determinationem rationi conformem*,
ita lex latius significat complexum re-
gularum similium, & differt ab illa,
uti conceptus inferior a suo superiore.
Ab obiectorum varietate varia nascuntur
legum *divisiones*.

Pone, *actionem spiritus finiti liberam*,
*sive moralem, latius dictam: (h. e. secun-
dum antegressas distinctas nexus inter actio-
nem & ejus consecutaria representationes de-
terminabilem)* lex, secundum quam deter-
minantur actiones liberae, seu morales,

in anima spiritus finiti, appellatur *moralis latius dicta*, quam explicant *psychologi*.

- b) Pone, spiritui finito possibilem esse directionem actionum liberarum, ut per concordiam earum cum determinationibus essentialibus agentis oriatur perfectio extraessentialis huius, vel extra hunc in entibus aliis. Lex tales regulas actionum liberarum, quibus accurate observatis ad hunc finem perveniri potest, complectens, erit *moralis strictius dicta*. Qualem explicant *politici, medici cet.*
- c) Pone, inesse in spiritu finito nisum essentialem ad congruentiam, & fugam itidem infitam omnis disharmoniae observabilis, ita ut tædii ex hac, & voluptatis ex illa, consecutio fit physice necessaria: Pone præterea huic nisui subiectum esse conatum essentialem ad perfectiones proprias extraessentialiales, (h. e. ad convenientiam mutationum, præcipue arbitrariarum, cum determinationibus essentialibus propriis.) quem breviter *conatum essentialem spiritus finiti sese perficiendi*, appellamus. Orietur ex his notio *obligationis moralis*, (*passivæ scilicet, der Obliegenheit, Schuldigkeit, Verbindlichkeit*) usu vulgari loquendi assentiente. Uti enim fieri non potest, ut pugnantia habeamus pro
veris:

veris: ita etiam impossibile est, ut nobis placeat determinatio extra essentialis, præcipue arbitraria, de cuius pugna cum essentialibus determinationibus cognitionem habemus intuitivam. Dari autem huiusmodi cognitionem, dari consuetudinem eius, sensationem internam tactui, extra dubitationis aleam ponit experientia. Hinc suaves facti intuitum convenientiæ illius in nobis producere student, hinc vitiosi quique specie harmoniæ illius quæsita se decipiunt, hinc ipsi, cum primum facti disharmoniam intuemur, ingeminare solemus, hoc fieri non oportuisse. Est igitur *obligatio moralis*, necessitas determinandi actiones liberas secundum regulam, nisi essentiali sese perficiendi conformem. Lex actionum liberarum, cum obligatione morali agentis coniuncta, est *lex moralis strictissime*, seu *eminenter, dicta*.

- d) Definitio veterum Jurisconsultorum de obligatione, ob non satis intellectam CAJII Jurisconsulti locutionem & mentem, a L. B. de WOLF in *horis succisvis* temere vellata. Huius definitio, quod *obligatio sit connexio motivorum* (& quod nonnulli addunt, *pregnantium*) *cum actione*, est latior suo definito. Nimum in definitione obligationis sumit BARBEYRACIUS ad PUFEND. *J. N. & G.* qui *actua-*

lem sensationem rectitudinis & pravitatis ea notione contineri censet, quem ipsa hominum, conscientia cauteriata laborantium, caries facile refellit.

- e) Ad essentiam notionis, & convictionis, de hac obligatione ac lege morali, non pertinet notio eius, qui consecraria actionis moralis, eorumque convenientiam aut pugnam cum determinationibus agentis essentialibus, copulavit, (ex quo nexu constituto *obligatio passiva* colligitur). Pone contrarium. Fac huius nexu auctorem intelligi. Quid hæc cognitio profuerit ad flectendam voluntatem, demto nisu ad convenientiam essentiali? Ad hunc, utri ad communem focum radii, confluunt omnia. Cur enim obedire iubentis imperio, decernis? Nonne quod cognoscis nexum inter obedientiæ consecraria, & determinationes essentialia? seu propior ille sit nexus, seu remotior, hic loci nil refert.
- f) Lex moralis, inter duas actiones contradictorie oppositas determinans unam, exclusa altera, illam *jubet*, hanc *vetat*. Inter plures actiones autem, sibi contradictorie non oppositas, nullam excludens vel determinans, *permittit*. Permittit vero, *quoties actio singularis perfectionem, ad quam tendit, neque impedit, neque promovet*. Actio, quam lex moralis determinat, sive actio libera cum obli-

obligatione coniuncta, est officium. Actio lege morali permiffa vocatur licita.

- g) Punctum morale est determinatio legis vel regule moralis, exceptionem omnem excludens. Latitudo contra moralis est determinatio legis, vel regule, moralis, exceptionem admittens, essentia legis illius, vel regule, conformem. Hæc latitudo si contra legis scopum plus iusto extendatur, oritur imperfectio legi contraria. Quod vitium qui vel ipsi committunt, vel fovent, audiunt latitudinarii. Emendanda est Grotii de J. B. & P. II, 1, 5. enuntiatio, qui in moralibus, inquit, ut & naturalibus, punctum non invenitur sine aliqua latitudine. Sed cf. eundem I, 2, 1. n. 3.

Sect. II.

Divisiones utriusque

1) veræ

a) Actiones morales, sunt vel commiffivæ, vel omiffivæ. Hinc oritur obligationis & L. M. divisio in affirmativam & negativam.

b) Vel plures rationes simul sumtæ constituunt rationem sufficientem perfectionis in actione morali, vel unica ratio est sufficiens. Idcirco obligatio & L. M. sunt vel simplices vel compositæ.

Compositam cogites, ut totum morale, cuius singula partes sunt totidem

realitates, quæ consentiunt perinde ad unam, uti, quo plures confluunt rivi, eo maius efficitur flumen.

- c) L. M. est vel *fortior*, vel *debilior*.
 Omnis enim obligatio nititur consensu actionis liberæ cum nisu essentiali ad convenientiam inter determinationes essentielles agentis & extraessentialis arbitrarias. Minima itaque O. M. est, quæ oritur ex minimo consensu actionis minimæ, & minima, intuitive cognoscendi hunc consensum, possibilitate. Fortior est obligatio, quæ maiorem actionis moralis convenientiam, maioremque huius intuitus possibilitatem, continet. Igitur L. M. *fortior* est *lex M. cum fortiori obligatione coniuncta*.
- d) L. M. est vel *superior*, plurium inferiorum centrum, (e. gr. propositio: pius esto) vel *inferior*, superiori subordinata (e. gr. scandala effugito.)
- e) L. M. vel est *vera*, vel *falsa*, & si hæc per errorem pro vera habetur, erronea. Eadem de obligatione valent.
- 2) *Spuria*, h. e. legibus dividendi logicis adversæ

Divisio obligationis in *physicam* & *mora-
 valem*, in *rigorosam* & *liberalem*, (quam
 CANZIUS in discipl. moral. proposuit.)

Sect.

Sect. III.

Legis & obligationis moralis veræ criterium,
& perfectio.

a) Obligatio moralis vera est, quam supra definivimus. Falsa autem, & imaginaria, (*eine eingebildete, vermeinte Schuldigkeit*) est erronea representatio de necessitate morali sic & non aliter determinandi actionem singularem, ut satisfiat nisi essentiali ad convenientiam, cui reapse talis determinatio actionis repugnat. Ergo falsitas obligationis passivæ non est in re (quia falsa obiective obligatio, non est obligatio) sed in conceptu, proinde *falsitatis logica* species. Lex moralis vera est, quæ veram obligationem determinat. e. g. Lex Stoicorum de indolentia, leges sectæ flagellantium, lex de exterminandis per supplicia hæreticis, sunt leges falsæ.

b) *Legis moralis perfectio* (si nempe in eius æstimatione ad principium universalius ascendatur) ponitur in ea regularum singularum, lege morali comprehensarum, determinatione, quæ convenit cum lege universalissima optimi in mundo. Huic autem legi convenit *felicitas spirituum finitorum* (h. e. *beatitudo* eorundem, & *prosperitas* coniunctim sumpta) tanta, quanta possibilis. Igitur uti *lex moralis* etiam *falsa* dici potest, *lex spiritui data*,

& eius felicitati opposita: ita lex moralis spiritibus finitis statuta, tanto est perfectior, quanto est propior *foco perfectionis L. M. communi*, quem modo indicavimus. Dicatur de disputationibus veterum (in quibus fere solis occupantur & harent Ethicæ Scholasticorum) quid sit summum bonum? legis moralis optimæ scopus. Tricæ illæ produnt Græcorum & Romanorum philosophorum levem aut falsam *theologia naturalis cognitionem, & Scholasticorum inscitiam doctrinarum psychologicarum.*

- c) *Moraliter possibile est physica actionem liberam determinandi possibilitas, legi morali veræ non repugnans. Moraliter impossibile, est oppositum. Cumque necessarium dicatur id, cuius oppositum est impossibile; erit moraliter necessarium id, cuius contrario posito impossibile spiritui finito est satisfacere nisi essentiali ad convenientiam. (oblig. mor. fonti.)*

Ita res se habet *significatu Ethico. Psychologicè dici potest moraliter necessarium (latius) cuius oppositum est, ob leges psychologicas de arbitrio & libertate, moraliter impossibile.*

Seçt. IV.

Legum moralium collisio

- a) *Leges morales diversa sunt, quarum diversa est ratio perfectionis determinans. Impossibilitas*

possibilitas simultanei duarum legum moralium implementi est officiorum collisio: ipsaque legum vel regularum moralium, in determinanda actionis singularis rectitudine diversitas est earum collisio.

Malim dicere *diversitas*, quam *pugna*. Nam neque *leges morales verae*, neque *officia vera*, unquam vere pugnant. Id apogogice sic intelligitur. Pone pugnam legum moralium veram. Cum singularum L. M. effectus sit *obligatio*: in eadem actione singulari inesset obligatio, ad ipsam sic & non aliter determinandam, & (ob pugnam, quæ sumitur) non inesset. At vero hoc refragaretur principio veritatum catholico, contradictionis. Igitur manet hoc, *leges morales veras pugnare secum non posse*, & *leges, quæ vere pugnant, earum unam non esse legem veram* ob defectum obligationis, sed *opinatam*. Omnis de tali repugnantia legum & officiorum opinio est vitium logicum in formandis contra *leges logicas propositionibus* admissum. Sive sint *leges divinae naturales, aut positivæ*, vitium est nostrum, qui, nimium in re gravi præcipites, propositiones *universaliter* enuntiamus, vitio *determinationis* laborantes: sive *legislator humanus*, in *legum suarum conceptione*, eiusdem vitii fit auctor. ex. gr. *regulæ: cætus sacros obito; valetudinis cu-*

RAM

ram habeto; sæpius colliduntur, vere non pugnant. Nam regula de frequentanda æde sacra cum hac determinatione duntaxat vera est: quoties sine maiori imperfectione id fieri potest. Et sic in cæteris. e. g. in vulgata illa Scholasticorum propositione: nunquam sunt faciendæ mala, ut inde eveniant bona.

- b) Possibilis est talis legum collisio. Nam quoties rationes perfectionem determinantes sunt plures & compositæ: toties una ratio aliquando simul cum altera conciliari nequit, sed cedit, ne consensus ipse impediatur. Ab ea, quæ reliquis cedit, *excipi* dicitur. Quæ exceptio si non sit necessaria, habeatur autem pro tali, parit *vitium*. Lex moralis vera tendit ad perfectionem aliquam efficiendam. Pone plures leges morales; potest fieri, ut aliquando, in proposita quadam actione singulari, unius implementum impediret perfectionem maiorem, quam per alterius executionem, adipisci posses. Et tum adest collisio, & excipiendi necessitas.
- c) Quid tum *rectum*? quidve *pravum*? fit, operosa multorum, sed reapse plana, est disputatio. Nam leges morales collidentes sibi sunt vel *coordinatæ*, vel *subordinatæ*. Si hoc, vincit *superior*, quia perfectio ex inferioris implemento parabilis, eatenus tantum est perfectio, qua-

quatenus præbet medium perfectionis maioris, ad quam tendit lex superior, obtinendæ. Si illud; ascendendum est ad *legem superiorem communem utriusque*, & ea determinatio actionis singularis, in omni ambitu suo spectatæ, recta iudicanda, quæ cum *essentia legis superioris propius connectitur*; ea in tali proposita circumstantia minus recta, quæ electa, & oppositæ prælata, *essentiæ legis superioris repugnaret*.

- d) Modus conciliandi leges per distinctionem præceptorum in *affirmantia & negantia*, quem commendarunt *Scholastici*, ad lusum in verbis redit.

Sect. V.

Moralitas actionum obiectiva seu interna.

- a) Posita lege morali ponitur obiectum nempe actio m. Huius convenientia aut pugna cum determinata L. M. est determinabilis. Determinabilis autem est tum in se, tum subiective, h. e. a subiecto, quod illa lege obstringitur. *Huius convenientiæ aut pugnæ determinabilitas est actionum moralitas. Determinata convenientia actionis moralis cum L. M. est eiusdem rectitudo, (bonum morale.) Determinata pugna eiusdem, est anomalia (Pravitas, malum morale.) In utraque spectantur singulæ determinationes, ex quibus tota constat actio, adeoque r) cau-*
sa

- sa impulsiva, 2) finales, 3) media, 4) executio ipsa, 5) confectionaria.
- b) Pone, *cognoscibilem esse perfectionem actionis aut imperfectionem ex nexu rerum absque respectu ad voluntatem legislatoris*: obligatio M. erit interna (*obiectiva, naturalis latius dicta*) & ipsa rectitudo actionis aut anomalia erit in esse talis, quam *Scholastici* vocant *perseitatem*.
- c) Possibilis est talis interna moralitas. Nam posito nisi essentiali spiritus finiti ad perfectionem sive convenientiam; posita possibilitate intuitive cognoscendi convenientiam actionis alicuius singularis cum nexu rerum, adeoque cum determinationibus essentialibus agentis, in se & in nexu consideratis: statim adest O. M. seposita licet voluntate legislatoris, & spiritus finiti ab hoc dependentia, adeoque *datur interna actionis moralitas*.

Scholion.

Exponatur, quemadmodum *Scholasticis* conveniat cum *Graecis* philosophis, qui duas partes faciunt eorum, quae sunt probabilia, aliud *κατ'αυτ'ο* (*καλόν*) aliud *προς τὸ* (*αγαθόν*) & mixtum ex utroque genus *καλοκαγαθίαν* vocant, conf. CICERO de *finib.* II, II.

Sect. VI.

Moralitas actionum subiectiva

- a) Pone spiritus cuiusdam potestatem, aliis extra se spiritibus constituendi *leges morales strictissime dictas*, qualiscunque

que sit huius potestatis origo. Pone, legem constitui. Erit legislator, & obligabit eos, (*verpflichtet, macht verbunden*) quibus legem moralem statuit, ac promulgavit, h. e. fecit, ut & regulas illas, & obligationem illis regulis convenienter actiones determinandi, is, cui legem dedit, cognoscere potuerit. Est igitur obligatio activa (*die Verbindlichmachung*) promulgatio legis moralis strictissime dictæ, ab eo facta, cui in alios extra se spiritus est potestas.

Scholion.

Ita legislatorem internoscis a latrone, qui motiva copulat cum actione, vitam suam redimentis, sed hunc, ut spoliari, quam perire, malit, non obligat active. Ita distinguis legislatorem ab oratore, & consultore, qui instar statutz mercurialis viam ostendit, non facit. Ex consilio, qua tali, non oritur obligatio, sed ex materiali eius, id est, ex veritate practica, ipsa, quæ consilii in modum proponitur, eiusque cum felicitate spiritus nexu.

b) Moralitas actionum, quatenus in ea determinanda attenditur voluntas legislatoris, est subiectiva. Vel mera, vel mixta. Illa voluntatem legislatoris ponit, regulas dictantis, non ob internam earum perfectionem, sed ob earum consensum cum passionibus, tum temporis in eius anima dominantibus. Familiaris tyrannis iubendi ratio. Quamobrem talis moralitas a CANZIO vocatur irrationalis. Hac voluntatem legislatoris ponit, intrinsicæ legum moralium perfectionis intuitu, determinatam.

c) Cum

c) Cum Deus, quicquid agit, ex *ratione obiectiva & subiectiva* agat (vult enim aliquid existere, tum *quia est realitas*, tum, quoniam *ad se relatum*, est *realitatum suarum rationatum*) sequitur, ut omnis lex moralis divina *ex utraque ratione* sit condita.

Sect. VII.

Bona & mala ad incitandos elateres cum lege morali connexa, speciatim, præmia & pœnæ.

a) *Bonum* est spiritui finito, determinatio, quæ cum determinationibus ipsius essentialibus convenit: *malum*, quod cum his pugnat. *Malum*, quod per errorem habetur pro bono, est *bonum apparens*. Bonum, quod per errorem habetur pro malo, est *malum apparens*. Falsa contra ea est boni definitio, vitiorum fautoribus familiaris, ut sit illud, quod voluptatem gignit, malum vero, quod sit principium tædii actualis. *Maius bonum* est bonum, maiorem agentis realitatem involvens. *Bonorum collisio* est impossibilitas simultaneæ duorum bonorum fruitionis.

b) Nulla lex moralis cogitari potest absque elateribus. Elateres *actionum commissiviarum* sunt consecutaria actionis bona, (intrinsicus aut extrinsicus vel utrinque) *omissivarum* mala. (*quæ præmia & pœnæ recte*

recte appellantur *significatu latiori*, usu loquendi Romanorum & Germanorum non refragante.)

c) *Premia strictius dicta* sunt bona contingencia, ab ente intelligente, auctori actionis rectæ collata. Huic opposita sunt *pœna strictius dicta*. Differunt a bonis malisve actionum consecrariis, latius dictis:

1) Quod ponunt ens intelligens extra agentem.

2) Quod sunt consecraria cum actione non essentialiter connexa, sed

3) ab ente intelligente, præcedente notitia actionis alienæ, & intuitu pravitatis aut rectitudinis, collata ideo, quod proportio ipsi per essentiam suam placet inter quantitatem moralitatis in actione, & quantitatem boni vel mali, intuitu agentis, actionem consequentis. Præmia & pœna *strictius dicta* applicari possunt inscientibus. Hinc lucem feneratur quæstio, num *bona & mala fortuita præmiis pœnisve divinis annumerari possint?* de qua commendari meretur Cel. KÆSTNERI commentatio, quæ *Berolini* ab *academia scientiarum* præmio coronata fuit. *Premia & pœna strictissime dicta* sunt, quæ a superiori in quacunque civitate proficiscuntur, & *civilium nomine* veniunt.

d) Non quævis præmia & pœnæ efficiunt elateres, sed quatenus datur, vel dari

B

potest

- potest, prævisio & præfragitio eorum ut existibilem, eatenus fiunt elateres.
- e) Præmia dividuntur 1) ratione auctoris *in divina* (subdividenda in naturalia, supernaturalia, & miraculosa) & a *substantiis creatis intelligentibus profecta* 2) ratione boni ipsius, in *positiva*, per quæ bonum extraessentialiale agenti accrescit, & *privativa*, quibus malum demitur. In *vera*, & cum vera actionis rectitudine connexa, & bonum verum agenti afferentia: ac *falsa*, in quibus alterutrum, aut utrumque, deest. In *maiora*, quæ maius bonum merenti adiiciunt, & *minora*, in minoris boni attributione subsistentia. In *externa*, quæ agentem *extrinsecus* perficiunt, & *interna*, quæ internas eius perfectiones promövent 3) ratione durationis, in *constantia*, quorum intuitus aut fructio est difficulter mutabilis, vel *transitoria*, quæ cito evanescent.
- f) *Elaterum præstantia*. Quo maior est, perfectio extra essentialis, ad quam adipiscendam elater tendit, quo efficacior est idem elater in anima agentis: eo est melior, e. gr. elater ad perfectionem internam est præstantior elatere ad externam tendente.
- g) *Elaterum energia*. Fortiores sunt, qui oppositorum vim facile frangunt, *hebetiores*

betiores, qui oppositis facile superantur, h. e. ad quorum vim retundendam exigua vis oppositi elateris sufficit. In causas diversæ huius energiæ, tum *originarias*, tum *adscititias*, inquiratur.

Sect. VIII.

Imputatio moralis.

- a) Grammaticæ imputandi verbum, proprium est arithmetico-rum. A classicis transfertur ad alia negotia, & plerumque denotat facta in gratiam alterius ad calculos revocare (*zu rechnung setzen, sich aus etwas ein Verdienst machen.*)
- b) Imputatio *significatu philosophico* latius dicta, (*metaphysica*) est iudicium, quo aliquis declaratur auctor, seu causa libera, actionis & consequentiarum eius. Ab hac differt *physica*, quæ est iudicium de causa efficiente actionis *non moralis*, seu per agentis libertatem non determinabilis.
- c) Si imputationi metaphysicæ superaccedat argumentatio de rectitudine vel pravitate eiusdem actionis: adiecta hac determinatione, imputatio efficitur *moralis*. Hæc igitur est *imputatio cum argumentatione de moralitate actionis*. Subiectum huius imputationis audit *agens morale*, sive *causa efficiens moralis*. Imputatio ipsa *abstractione logica* in duos actus dis-

pefci potest: a) determinatio auctoris, quam *imputationem facti* vocant, b) moralitatis, & effectorum lege præscriptorum, quam *imputationem iuris* dicunt.

d) In omni imputatione morali spectandum est 1) obiectum. Sunt *actiones singulares morales*, seu *facta*, quorum *distincta representatio* vocatur *species facti*. Ergo actiones a spiritibus non profectæ, vel quamvis proficisci potuerint, per eorum tamen libertatem non determinabiles, non sunt *imputabiles moraliter*, sive non est in illis *imputativitas*. h. e. receptivitas imputationis moralis. In subfuntione id exemplis, ex campo *doctrinae psychologicae de arbitrio & libertate* petitis, illustrandum.

Facta, quæ imputantur, sunt vel *propria* vel *aliena*. *Propria*, quorum existentia ex solitaria agentis vi est explicabilis. (Hinc *imputatio simplex*) *Aliena*, quatenus *eorum ratio sufficiens est posita in concursu spiritus f. ad actionem alterius*. (Hinc nascitur *imputatio permutatoria*.) *Concursus duplex* est: vel ut viribus nostris decretum alienum, aut eius executionem, promoveamus: vel ut non utamur viribus nostris sufficientibus ad alienam actionem impediendam, secundum aut contra legis moralis præscripta. Ex tali concursu oritur *notio causæ moralis*. Hæc est *concaussa libera facti*

facti alieni cum suis consecrariis, per actionem commissivam aut omissivam imputabilem.

Quatenus causæ morali imputatur factum alienum: eatenus spectatur ut eius proprium, & ipsi imputatur vel tanquam *factum bonum*, vel tanquam *factum pravum*.

Et hæc quidem est factorum alienorum imputatio *proprie* dicta. Actiones alienæ *improprie* dicuntur imputari, quas excipiunt consecraria, ad alios extra agentem, citra illorum concursum, derivata.

Improprie dictam voco huiusmodi imputationem, quia, uti propriæ obiectum est actio, sic huius est receptivitas participationis de consecrariis actionis alienæ, & illorum transmissibilitas ad alios. Ita ex feloniam patris, ex crimine maiestatis, cooriuntur privationes, ad filios transmissæ. Ita ex facto expromissoris nascitur liberatio debitoris, ad expromissionem licet nullatenus concurrentis. Ita merita maiorum, & præmia his collata, e. g. nobilitas, *imputari* dicuntur *posteris*, etsi per se nihil merentibus.

2) Attendenda sunt consecraria actionis, *quoad ipsum agentem*, huic moraliter imputanda. Hinc oritur notio *meriti latius dicti*. Hoc est, *actio moralis*, quatenus *spectatur in nexu cum imputatione proportionata consecrariorum*, agenti bonorum vel malorum. Dispicitur in bene meritum,

B 3

quod

quod inest in *actione recta*, & *demeritum*,
quod inest in *actione prava*.

- 3) Confectaria actionis, *extra agentem existentia*, agenti imputanda sunt moraliter, quatenus lex moralis vel ea præfagiendi obligationem, vel etiam absque præfagiendi ea viribus, aut præfagitione actuali, agendi vel non agendi obligationem, constituit. Canon ontologicus: *caussa causæ essentialiter subordinata est causæ causati*: applicatus.
- 4) Argumentatio ipsa de moralitate. Eius perfectiones.

Perfectio eius essentialis est *veritas obiectiva* quoad præmissas, & *logica* quoad illationem conclusionis. Potest enim in his argumentationibus practicis errari vel in forma, vel in materia. Tale vitium logicum parit imputationem obiective falsam. Quæ si pro vera habeatur: exoritur *imputatio subiective falsa*, seu *erronea*.

Secunda imputationis perfectio est *certitudo subiectiva imputantis*. Hæc est clara cognitio criteriorum veritatis obiectivæ in conclusione. Hinc imputatio est vel complete certa, (cuius maior gradus determinata & mathematica) vel incomplete, seu *probabilis*, (cuius maior gradus dicitur *moraliter certa*.) Imputatio *dubia* est imputatio, cuius præmissarum veritas aut falsitas distincte discerni nequit.

Ter-

Tertia perfectio est *claritas maior*.
Hoc contemplatu imputatio alia est
sensitiva, alia *rationalis*.

c) Et diversitas legum moralium gignit diversitatem denominationis, tum imputationum, tum actionum, quæ imputantur: & diversitas effectus, qui actum imputantis sequitur, parit novas imputationis divisiones. Ita, quoad posterius, imputatio dispescitur *in simplicem, & efficientem*. Illa subsistit in *ratiocinio de merito*, neque imputans efficit *consectaria bona vel mala*, quæ mereri agentem concludit. Hæc autem post conclusionem, ipsorum consecratorum, quæ meretur auctor actionis, actuat existentiam.

d) *Mensura moralis*

1) Ubi intensum, in quo cogitari potest maius & minus, ibi datur *quantitas intensi*, seu *gradus*. Actiones imputabiles sunt *intensa*. Et cum in earum conceptu maius & minus contineatur, siquidem maius vel minus cum lege morali unica vel pluribus, magis minusve, consentiunt: datur & actionum moralium, & imputationis moralis, *quantitas determinabilis*. *Quantitas moralis* est multitudo determinationum, quæ simul sumtæ totum actionis moralis constituunt, cum lege morali magis minusve consen-

tientium aut pugnantium. *Mensura* itaque *moralis* est, quantitas moralis assumpta, ut ad eam quantitas actionum moralium homogenearum exquiratur.

2) Dari gradus moralitatis & imputationis, negarunt STOICI. Sed transilire lineas plures, differt ab eo, si unam tantummodo lineam transilieris: & privari una realitate minima per peccatum, minus involvit, quam privari per aliud peccatum pluribus & maioribus realitatibus. Dari gradus peccatorum, consentiente asseritur S. scriptura v. Joh. 18. v. 1. Luc. 12. v. 47. & 48. Neque alia docentur Matth. 25. v. 35 seq. Jovinianus sæc. 3. utrum huius erroris iure coarguatur?

3) Quoad *quantitatem*, *imputationis* attendendum ad gradum libertatis in agente, b) obligationis, c) effectorum actionis, quoad bona & mala, tum intuitu agentis, tum extra agentem.

Sect. IX.

Dynameometria moralis. Virtus. Vitiōfitas.

a) In dimetiendis agentis viribus moralibus attendendum a) ad elateres, b) decreta ipsa eorumque executionem, cum suis effectis, tum intuitu agentis, tum intuitu aliorum entium extra agentem.

agentem. Hæc singula insunt in quavis *actione singulari morali*, & simul sumpta totum ipsius constituunt. Sed ut tanto distinctius intelligantur: abstractione logica veluti distrahi, & seorsum spectari, possunt. Si actio quoad elateres agentis efficaces & efficientes cum L. M. consentiat: est *formaliter recta*, & strictius *bona* dici potest, ita ut bonitas actionis moralis significato strictiori sit eius rectitudo formalis. Si quoad appetitum vel aversationem ipsam, applicationem facultatis loco motivæ, & consecratorum seriem, cum lege M. congruat: est *materialiter recta*,

b) Quo plus harmoniæ in deliberatione & elateribus, quo plus convenientiæ in decreto cum determinationibus agentis essentialibus eiusque nexu cum aliis entibus, quo plures inter actiones successivas, & quo plus concordiæ, quo maior, quo fortioribus cum legibus, concentus: eo vires agentis morales sunt maiores.

c) Hinc oriuntur definitiones *virtutis moralis & vitiositatis*. Est nempe *virtus intensior promptitudo in conservanda serie actionum rectorum, coniuncta cum habituali aversatione actionum formaliter & materialiter anomalarum*. Sed hanc materiam in commentario de *charactere vere virtutis* uberius dilucidavimus. Addatur vir-

tutis, quam BULFINGERUS *dil.* §. 496. appellat, *gradatio*, ibidem a nobis plenius exposita. *Confinia virtutis*, & specie virtutis atque umbra ludentis, *vitiis*, ibidem indicata. Fons erroris, quo veteres laborarunt in condenda virtutis definitione, detectus.

Exc. DARIESII definitio virtutis, quam in *Ethica* §. 71. tradidit, cum objectionibus Cel. CHLADENII collata.

- e) Uti omnis pulchritudo est perfectio sensitive cognoscibilis: ita virtutis pulchritudo est eius perfectio, quatenus sensitive cognosci potest. Sensitive, vel per sensationes internas crescentis acquiescentie in se ipso ex illo quasi rythmo vite, in quo posita est virtus; sensitive quoad alios, maiori virtutis gradu conspicuos, si ad concordiam actionum alienarum successivarum, & eius consecutaria attendamus.

Sect. X.

Status moralis

Est complexus determinationum moralium spiritus finiti essentialibus eius coexistentium. Uti omnis spiritus finiti status est mutabilis, ita etiam moralis. DispeSCI potest in præsentem, præteritum, & futurum.

Status moralis notanda a) perfectio. Est consensus triplicis status moralis inter se & cum legibus moralibus.

1) In-

- 1) incipiens
- 2) crescens
- 3) summa
- 4) interrupta. Huc pertinet status *tentationis*, sive status spiritus finiti virtuosus, in quo stimuli & motiva ad peccatum fortiora ipsi superanda sunt. Cui opponitur status tranquillitatis, seu Status spiritus finiti virtuosus, in quo non tentatur.
- 5) Restituta. Huc pertinet status confirmationis, sive status virtuosus, tentationibus ad malum succedens.
 - b) Imperfectio.
 - 1) Incipiens. Phlegma morale, significatu malo. Languor moralis. Morbus moralis, languori succedens. Morbi vehementior stas temporibus accessus, & exasperatio, est paroxysmus moralis. Status moraliter deterior meliori succedens est status (lapsus) destitutionis.
 - 2) Crescens. Hanc indicat procrastinatio, sive decretum spiritus finiti moraliter corrupti, tentandi emendationem remotiori demum tempore futuro. Sequitur Status servitutis, seu status vitiosus, cum aliquo, sed inefficente, pœnæ metu se ad peccandum determinantis.
 - 3) Summa. Illum excipit status securitatis, seu status spiritus finiti vitiosus sine observabili pœnæ metu peccantis. Tandem status bestialitatis, seu status spiritus finiti, in quo victoria appetitus sensitivi in rationalem

nalem, ne quidem notabiliter resistentem, est habitualis.

4) *Interrupta.* Huc pertinet *Status bonorum motuum*, sive *status spiritus finiti*, in quo *stimuli vel motiva ad emendationem vim suam ad tempus exserunt.*

5) *Sublata.* Id fit per *resipiscentiam*, sive *statum ascensus*, (restitutionis.) Quæ est *mutatio spiritus finiti in moraliter melius.* Est vel *totalis* vel *partialis.* *Totalis* est *abrogatio omnium habituum moraliter corruptorum.* *Partialis* quorundam. Actus ipse, quo hæc emendatio peragitur, est *converso.* In *resipiscentia totali* inest quoque *abrogatio elaterum animæ occultissimorum efficacium*, licet non simul *efficientium*, *moraliter corruptorum*, & eatenus dicitur *intima.* Cui opponitur *superficiaria*, quæ pertinet ad *resipiscentiam partialem*, est que *abrogatio elaterum efficientium moraliter corruptorum.* Illa coniuncta est cum *aversatione status corrupti statui emendato succedentis*, h. e. *relapsus*, quæ *aversatio relapsus odium penitentiale* dicitur.

c) *Cognitio status moralis.*

1) Est vel *vera*, vel *falsa.* Veritas eius est, *identitas repræsentationis & status moralis*: *falsa cognitio* est, *diversitas inter repræsentationem & statum moralem ipsum.*

Falsa esse potest, vel a) *quoad qualitatem*, vel *quoad quantitatem*, vel *quoad utram-*

utramque. Quoad qualitatem. Unde oritur somnium morale, h. e. status moralis proprii representatio chymærica.

Vel b) quoad quantitatem, si perfectioni vel imperfectioni status moralis non fit proportionalis cognitio. Quo pertinet cognitio micrologica, minimam perfectionem aut imperfectionem status moralis cum maiori confundens.

2) *Claritas.* Uti nullius spiritus finiti cognitio est complete clara, h. e. rei in se & in omni possibili & actuali nexu spectata, nedum complete distincta, ita nec talis datur in iis cognitio status moralis. Tanto perfectior igitur est huius cognitionis claritas, quanto propior est completæ. Status sui moralis præsentis clariorem cognitionem secundum leges psychologicas alens, moraliter vigilat. Habitus moraliter vigilandi, est *moralis vigilantia*. Notabilis obscuratio cognitionis de statu morali præsentis est *vertigo*, (ebrietas) *moralis*, eiusque habitus *temulentia moralis*. Totalis defectus attentionis ad statum morale præsentem est *somnus moralis*. Cuius attentio somno morali succedit, is *moraliter evigilat*.

3) *Ubertas.* Quo plures determinationes statum morale totalem componentes cognoscuntur, eo perfectior est cognitio, eo facilius vitatur illud: *non putaram.*

4) *Certi-*

- 4) *Certitudo.* Huc pertinet *status convictio- nis* seu *plerophorias*, h. e. status virtuosi, in quo est notabilis certitudo de rectitudine actionum liberarum. Cui opponitur *status anxietatis*, seu status virtuosi, in quo est notabilis incertitudo de morali bonitate sua. Cognitio scrupulosa est cognitio status moralis plena scrupulorum de *rectitudine vel anomalia actionum*. Et perinde differt a *dubia*, uti *scrupulum* a *dubio* discernunt logici. Porro *status persuasionis bonæ*: qui est status virtuosi, certitudinem cognitionis de statu morali suo, sibi falso ob principia precaria, tribuentis.
- 5) *Gravitas.* Huic opponitur cognitio *levis*, in minutis tantum perfectionibus & imperfectionibus subsistens.
- 6) *Vita.* Huc refer statum *alacritatis & inertiae moralis*. Ille est status moralis spiritus finiti, ad usum & incrementa virium moralium efficaciter nitentis. Status inertiae & socordiae est status moralis, in quo efficacia elaterum ad perficiendas vires morales est remissior. Status *lucis*, seu *regnum lucis morale*, est maior perfectio cognitionis de statu morali bono: cui opponitur *regnum tenebrarum morale*. Spiritus finitus, qui *proportionate agit statui lucis*: ille *ambulat in luce*.

Caput

Caput II.

Lex Naturæ moralis.

Sect. I.

a) Notio naturæ humanæ, evoluta. Naturæ ab essentia distinctio. *Natura moralis* spiritus finiti est *complexus facultatum receptivitatum, virium, spiritus finiti, quæ cum libertate eius propius connectuntur.* Ex quo, quid sit *natura hominis moralis*, facile intelligitur.

b) Variæ legis N. significationes explanatæ.

Lex N. eminenter dicta, est *lex moralis genus humanum obligans, ex natura humana demonstrabilis.*

Essentia legis naturalis, attributa eius, & cum lege morali strictissime dicta *communis, & propria.*

c) Actionum directio, lege naturali determinata est *naturale officium*, ei opposita est *naturale peccatum*. Directio actionis liberæ, lege morali non determinata, est *naturaliter indifferens*, & quidem *formaliter*. (quæ discrepat ab *indifferentia obiectiva & subiectiva*). Facultas physica libere agendi, lege morali non restricta, (hoc est, *ad determinatam actionem committendam aut omittendam non directæ*

directa) potest appellari *libertas moralis* latius dicta *naturalis*.

d) *Lis veterum & recentiorum, an detur indifferentia actionum formalis in sphaera legis naturalis?* explicata. Dantur utique actiones formaliter indifferentes tales: siquidem dantur variae actiones liberae, quarum una forte, obiective spectata, aliquantulum propius influere possit in perfectionem hominis, quam altera, sed nexus ille cum perfectione prior homini est irrepraesentabilis: proinde, ob ignorantiam naturaliter invincibilem, cessat obligatio moralis, qua cessante, desinit actio esse officium, & efficitur indifferens.

e) *Uti universis legibus moralibus, ita naturalibus etiam, sui sunt elateres. Naturali enim rerum nexui debentur bona aut mala actionum lege N. praeceptorum, prohibitarum, aut permissarum consuetaria, vel 1) hypothetice necessaria, vel 2) contingentia. His annumeres penas & premia naturalia, strictius dicta. Nam si e. g. nobili alterius facto commotus ipsi beneficia conferas, etsi nihil inde utilitatis reportes, & contra indignitate facinoris cuiusdam incensus, etsi in te nihil ex eo redundet mali, occasionem, malo homini gratum faciendi, dimittas, illud praemii naturalis nomen merebitur, hoc poena.*

Sect.

Sect. II.

Existentia legis naturalis evicta

a) Ex nexu actionis humanæ moralis cum suis **confectariis**, (quem per *principium rationati* a priori, & per experientiam a posteriori, facile demonstraveris) & horum vel consensu cum legibus psychologico-physiologicis, vel pugna. Posito consensu, ponitur perfectio extraessentialis, posita pugna, imperfectio. Et perfectio & imperfectio actionis obiectiva, homini clare cognoscibilis, & physice possibilis etiam appetitionum & averfationum, secundum antegressam hanc cognitionem, determinatio. Quod cum sufficiat, ut obligatio vera existat: (per definit. oblig. mor.) sequitur, propositiones, quæ modum præcipiunt, temperandi actiones liberas, ut consentiant cum natura, esse *obligatorias*, proinde *leges morales*. Et quidem *naturales*, tum quod earum principium *essendi & fiendi* est naturalis hominis constitutio, tum quod earum simul est principium cognoscendi, siquidem ipsarum cognitio est conclusio lo-

C

gice

prin-

ci-

pi-

a

- co- gice collecta, cuius præmissa est
 gno- natura agentis & actionis indivi-
 scen- dualis (seu omnimode determi-
 di nata.)
 ob- b) Ex nexu naturæ humanæ cum
 ic- legibus cosmologicis. STOI-
 sti- CUM illud : *naturæ convenienter*
 va. *vivere* : explicatum, eiusque cum
theologia naturali pugna ostensa.
 c) Ex *teleologia*, & sic 1) *sapientia*,
 (qua salva non potuit repugnan-
 tia actionum liberarum simul
 cum determinationibus essentia-
 libus intendi) 2) *bonitate* crea-
 toris, omne possibile bonum ex-
 traessentiale volente, *quoad con-*
stitutionem 3) *ex potestate* autem
 dei in humanum genus, & *huius*
dependentia, *quoad obligationem*.
 Lex naturæ est *lex dei*. Hinc
 præmiis & pœnis arbitrariis, iu-
 stitiæ remuneranti & vindicanti
 in civitate Dei consentaneis, ar-
 matur.
 d) Ex harmonia humani generis
 cum civitate dei, remotis legibus
 naturalibus interitura.

Scholia.

1) Nebulæ in disputatione *Scholasticorum*, num lex na-
 turæ *antecedenter* (quod cum illis contendit GROTIUS,
 J. B. & P. IIO.) an *consequenter*, (quod tradit PUFENDOR-
 FIUS J. N. & G. I, 5, 6.) ad voluntatem dei sit condita, dis-
 iectæ.

2) GRO-

2) GROTHII demonstratio, licet non sit omnibus numeris absoluta, *circuli* tamen in demonstrando temere a PUFENDORFFIO 7. N. & G. II, 3, 4. coarguitur, ad quem locum v. BARBEYRACIUS.

Sect. III.

Principia cognoscendi legem naturæ organica.

1.) Instinctus (prima naturæ, *πρώτοι κινήσεις φυσικαί*, conatus essentialis.)

a) Horum notio explicata

Elateres ad appetendum vel averſandum, ſingulis animantium ſpeciebus connati, ſunt eorum *instinctus naturales*. Elateres ad appetendum vel averſandum, partes naturæ humanæ, ſunt *instinctus naturales humani*.

b) Falſorum, ſeu opinatorum, criteria. Sæpenumero vis aſuefactionis, quæ ſoli tenellorum educationi, vel imitationi, accepta referenda, cum illis naturæ principiis confunditur. Exemplo fugæ inſitæ & pudoris naturalis, quæ cum *Grotio* inceſtus contra naturam oppugnari ſolet, illuſtratur.

c) Eorum vis, tum in determinandis, tum intendendis, appetitionibus. Ardorem & impetum addunt ratiociniis practicis, ut ſiant volitiones. Idem miniſterium præſtant in actionibus animæ, quod nervi in commotione corporis. *Vis ipſorum in eventibus ſubitis.*

C 2

d) Vis

- d) Vis quorundam in diversis individuis debilior, & veluti sopita, aliorum contra fortior & prædominans, eiusque in singulis individuis inæqualitatis, vel originariæ, vel adscititiæ, rationes.
- e) Subordinatio naturalis. Instinctus fundamentalis (*der Grundtrieb*) est stimulus sese perficiendi, estque apud omnes æqualis.
- f) Collisio, eiusque causæ finales, sapientiam naturæ demonstrantes. Uti enim de mundo elementari concordiam discordem affirmant monadologi: ita in hac veluti elementari constitutione humanæ naturæ ad appetenda ea, quæ ipsi conveniunt, deprehenderis conflictum, sed talem, qui suavissimæ harmoniæ causa fiat, accedente rationis imperio. Id quod exemplo stimulorum ad vindictam & ad misericordiam cernitur.
- g) usus
- α) in officiis erga nos
quales sunt stimulus curiositatis, stimulus ad fruitionem voluptatis ex intuitu perfectionis, in primis auturgix, alendi corpus (*Nabrungs-Trieb*) defendendi huius incolumitatem, libertatis externæ, medendi indigentix per acquisitionem bonorum. (*Erwerb Trieb*)
- β) in officiis erga alia

Spi-

Spiritus destructorius est a natura alienus. Voluptatis ex harmonia rerum capiendæ studium infitum. Vis pulchritudinis in anima naturalis.

Ad officia socialia a natura intenta, stimulos infra indicabimus.

- γ) Præstantia primorum naturæ in homine præbrutorum animantium impulsibus. Seu 1) spectes numerum, seu 2) nobilitatem, sunt formaliter & materialiter perfectiores.

Scholia.

1) Systema BUFFONII in historia naturali a Cæl. REIMARO in den abhandlungen aus der natürlichen religion solide profligatum.

2) Qui officia hominum exemplis brutorum animantium metiuntur: argumento utuntur declamatorum palmario, sed inter demonstrationum intelligentes levi, & falsarum conclusionum secundo. Lepida Barbara de Cilley responsio ei, qui castitatem ipsi turturum exemplo commendaret, data.

Sect. IV.

- 2) Rationis analogon

a) Explicetur vis *climatis*, educationis, & imitationis, in arripiendis propositionibus practicis universalibus, quas *maximas* vocant. Vis earum in fingendo *gustu*, & nuius in *ormandis moribus*.

b) Præiudicia ætatum diversarum, gentilitia, populorum.

C 3

Sect. V.

Sect. V.

3) Ratio

Cum ad legem naturalem, quatenus concipitur ut *lex moralis strictissime dicta*, virium ipsam cognoscendi sufficientia exigatur: natura humano generi in prima ætate *instinctibus*, in ea, quæ huic succedit, adolescente, simul *rationis analogo*, & in firmiori, cum his coniunctim, tum *intelligendi*, tum *ratiocinandi*, facultate data, consuluit, cuius ministerio principia cognoscendi L. N. obiectiva *essendi & fiendi* distincte intelligere queas, & ex his principium cognoscendi logicum erui potest. Probatio officiorum, quam nonnulli cum antiquis Philosophis ex *interna actionis pulchritudine & honestate*, & hanc itidem ex *universali hominum approbatione* colligunt, quantopere laboret petitione principii, exquiretur. conf. cum CLARKIO *relat. nat. tom. 2. c. 3. n. 7. le iugement d'un anonyme* (h. e. LEIBNITIUS) §. XV. quam philosophi summi scriptiunculam illustravit BARBEYRACIUS v. huius PUFEND. edit. 3.

Sect. VI.

Legem naturæ animalem, solis ex instinctibus compositam, non sufficere ad finem naturæ obtinendum: sed coniungendam cum ea esse legem naturæ rationalem.

a) Cel. SCHMAUSII doctrina de instinctibus

bus hominum, & efformanda secundum eorum normam iuris nat. disciplina, exposita.

- b) **ULPIANI**, & complurium veterum **J**ctorum, de notione legis naturalis, eiusque a *iure gentium* diversitate, sententiæ.
- c) Solum instinctum dare ius ad actionem ei conformem, sed nondum omnimodo determinatam. Eundem *nexui rerum*, & præsertim *generis humani* interesse, attemperatum (ad quam rem rationis analogo, & ipsa ratione indigemus) dare ius, ad actiones *singulares*, cum cæco illo naturæ impetu consentientes. Id exemplo infantum, qui rapiunt, quicquid placet, illustratur: quoniam acquisitio idcirco non est legitima, neque *Hobbesianum* illud *ius omnium in omnia* verum, quod natura trahamur ad ea paranda, quæ ad necessitates & commoditates vitæ pertinent. Elegans fabella *Xenophontis* de lite puerorum, quibus **Cyrus** intercessit iudex.
- d) Posito solo instinctuum principio, lex naturæ fieret 1) incerta, tum ob inæqualem singulorum instinctuum in singulis individui intensiorem originariam, (perinde ut nec eadem frigoris & caloris, famis & sitis, in universis hominibus est patientia) partim ob disensionem instinctuum, ad quam componendam duce indigemus. 2) *ob defectum relig.*
- manca. C. 4 e) Est

e) Est autem ratio, instinctum dirigens, securior vitæ dux: dum & evellere potest præiudicia practica, & quæ opinione citius multum ad mores deformandos faciunt, theoretica: & in variis hominum statibus moralibus velum, quod malis veris obtenditur, remove, atque pravum, recto vicinum, collidentibus inter se stimulis, discernere, potest: cui rei neque *instinctus*, neque *rationis analogon*, omnino sufficiunt.

Seçt. VII.

Obiectio excussa: quo magis adolescat ratio, eo deteriores plerumque fieri solere homines, quo cultiores fiant populi, eo lætius succrescere vitia, secundum HORATIANUM illud: *ætas nostra* sq.

a) Sæculum aureum, quod poetæ comminiscuntur, non posse tanta felicitate censei, quanta ipsi vulgo affingitur. Si a vita primorum post diluvium orbis incolarum pastoritia, instar nomadum *ducentos annos* palantium, multum abfuit culpæ, at certe quoque parum in ea fuit boni: si non multum impietatis adversus deum, at vero & parum notitiæ de deo, parum religionis internæ perfectionis: si non multum mali ex conjunctioni cum aliis hominibus societate, at vero tanto minus perfectionis, quæ ex societate hominum nascitur. Vitam-

tam, quam beatam Poetæ fingunt, tolerabilem facit ignorantia complurium vitiorum: quæ demum præstabilis futura erat per averfationem eorundem, coniunctam cum cognitione absolutiori boni, & studio efficaciori virtutis.

- b) ROUSSEAU præmium ab Academia Divionensi retulit Anno 1750. negata quæstione, utrum *restauratio floris disciplinarum & artium profuerit emendationi morum*. Sed 1) laborat viri ingeniosi opinio peccato contra legem psychologicam de experiētiis, ne quæ coexistunt, eorum unum habeatur pro causa efficiente alterius, 2) falsa dimensione vitiorum, tum ævo barbaro, tum instaurato literarum flori, coexistentium. In illo plerumque multum deprehendi feritatis, ex quo graviora mala nascantur, quam ex fraudibus, contra quas ex ipsis literis munimenta peti possunt.

Sect. VIII.

Custos legum naturalium, conscientia naturalis.

- a) Notio. Existētia. Accipitur vel pro facultate ratiocinandi de moralitate actionum, quas nobis ipsis imputamus methaphysice, vel 2) pro ratiocinio actuali, vel 3) pro sensatione interna, quæ ratiocinium actuale sequitur, vel 4) *pro instinctu*

instinctu naturali ad examen moralitatis actionum propriarum.

- b) *Affectiones*, per principium reductionis, ex doctrina de imputatione non minus, quam divisiones, repetendæ.
- c) Somnus conscientia. Fieri *psychologice* non posse, ut caveant mali, quacunque arte adhibita, ne unquam evigilet.
- d) Uti omnis intuitus actionis vel perfectionis, cum instinctu consentientis, naturaliter parit voluptatem, omnis intuitus contra repugnantia inter actionem vel perfectionem & instinctum gignit tedium: nullum autem tedium est intensius, & vehementius lancinat, quam cuius nos ipsos effectores esse, nobis conscius sumus: ita examine actionum propriarum instituto, vel sequituros acquiescentia in se ipso, vel opprobrium interius: cuius maior gradus appellatur morsus conscientia, furia vitiosorum naturales, quarum vis exemplis *Judæ proditoris, Cleopatrae, Neronis parricidae*, cet. cernitur. Add. PLIN. H. N. VII, 45. JUVEN. Sat. 13, Morsus illi sunt, *vividior & ardentior representatio contradictionis inter actionem commissam & conatum essentialem sepeficiendi. Vivida fit representatio hoc modo: ut tota actio, in minores veluti partes resoluta, obversetur animo, & nunc hoc consectorium actuale, nunc illud possibile, nunc facilitas intermittendi factum, nunc legis moralis*

lis prohibitiō, alia huiusmodi cogitatione aliam velocissime excipiente, representetur, heterogeneæ contra representationes admodum illo lumine obscurentur. Ita agnoscis, dari gradus istorum morsum, & esse alios aliis extensive, intensive, protensive, maiores. Agnoscis, contra experientiam, & suum ipsius forte sensum, disputare Tolandum, alios, qui doctrinam de conscientia commentitiam censent, & propagationem eius figmenti geographice ostendere, audent.

Sect. IX.

Principium cognoscendi L. N. logicum. Est propositio, *perfice te, tum ut finem, tum ut medium, harmoniam in mundo morali optimo conservandi.* Illustratur, & demonstratur.

Est a) *verum*, utpote ex principiis catholicis demonstrabile.

b) *Universale*, est focus, in quo, quicquid est præceptionum naturalium, colligitur.

c) *determinatum*, quia nihil abundat, neque deest.

d) *domesticum*, quia eius veritas absque fide demonstrari potest.

Sect. X.

Obiectiones huic principio (centro legum naturalium singularum) ab auctore libelli inscripti: *reflexions critiques sur divers sujets, aliis-*

aliisque obversa, in primis princeps illa, quod ad solipsismum manu quasi ducat, *ignorationis elenchi* postulata.

Aliud est principium perfectionis, aliud utilitatis & questus. Hoc sequenti absolvitur enuntiato: quicquid in adeptionem & fruitionem commodorum propriorum externorum, sensuumque oblectationem propius non insluit, curare aut aucupari desine. At qui studium perfectionis præcipiunt, id sibi volunt, ut homo per convenientiam actionum cum nexu rerum naturali, & voluntate Dei per sapientem illius constitutionem & gubernationem patefacta, sua simul natura convenienter vivat.

Sect. -XI.

Legis naturalis perfectio

α) in constitutione

- 1) quoad magnitudinem scopi, cum lege optimi in mundo, tum materiali, tum pneumatico, consentientis, & huic subordinata, ad quam tendit, felicitate (hoc est, prosperitate & beatitudine coniunctim sumpta) generis humani. Semita certa tranquille per virtutem patet unica vita.
- 2) Ambitum Singularum actionum, quæ in felicitatem agentis influunt, normas complectentem, & ad singulos singulorum hominum status accommodatam. Quo argumento usus est SOCRATES, ut leges naturæ humanis præstare ostende-

deret. Conf. XENOPHON *memor.*
IV, 4.

- 3) *Vitam*, elateres, ob internam satisfactio-
nis ex earum implemento sensationem,
efficacissimos, continentem.

Præmia & pœnas sine personarum
respectu applicat.

Obiectio: lege naturali voluptatem
hominibus intercipi sensitivam: falsam
eius notionem redolet. Singulæ eius
præceptiones non excludunt, sed pro-
movent, vel sensitivam voluptatem, vel
rationalem, vel utramque. Ethica te-
trica est decepatrix. Vitiosi hac falsa se
ipsos deludunt naturæ lege: natura du-
cimur ad voluptatem extensive, inten-
sive, protensive, maiorem. Hanc parit
actio, de qua deliberatur. Ergo cum na-
tura consentit, estque legi naturali, quæ
nil nisi interpret naturæ, & expressa
quasi eius imago est, consentanea. Po-
sito hoc ratiocinio fundamentali, cuius
maior & minor propositio fallit, deci-
piuntur prævisione & præsigitione fal-
laci plane abfuturi tædii, vel per maio-
rem voluptatem secuturam facile ob-
scurandi: donec tandem veras suas leges
natura vindicet, & sic sero illusionem
ingenii, & defectum acuminis sui, (*fontes errorum practitorum*) experiantur ipsi.
Recte JUVENALIS: *nemo malus felix.*
Que-

Querimonia GUARINI vulgata de duritie legum naturalium, confundit naturam cum habitibus hominibus moralibus corruptis, quorum complexus in S. S. caro vocatur.

4) Veritas (obiectiva) L. N. maxima, ex principiorum, quibus innituntur, immutabilitate, & decreti divini æternitate, collecta.

Rationes, mutabilitatem eius propugnantium, refutata.

Æternitas legis N. adversus PUFENDORFF. asserta.

β) promulgatione

a) Certitudo obiectiva summa. Possibilis quarundam l. n. partium, ut legum proprie dictarum, non ut consiliorum, cognitio, absque ulla, vel imperfectiori, cognitione auctoris earum, vel nexus inter existentiam & perfectiones dei, & constitutionem legum naturalium. Infelix humani generis conditio exortura erat, si convictionem de legum quarumque naturalium veritate necessario præcedere deberet accuratiores Dei, tanquam legislatoris, notitia. Siquidem magna pars hominum, qui vel sunt athei, vel atheorum more de Deo non cogitant, vel providentiam dei inficiantur, vel cum simplici plebecula, quod lex naturæ sit lex Dei, vix historice cognoscunt, id genus vacaret officiis. Sed ea

earundem L. N. partium cognitionem esse perfectiorem, & obligationem fieri munitiorem atque efficaciorẽ, posito deo, & distincte demonstrata L. N. a deo dependentia. Vera sunt, quæ demonstrant Geometræ, etsi in demonstrationibus ad auctorem omnis veri non ascendant. Difficultas assentiendi huic propositioni oritur ab asuefactione. Nam cum prima ætas plerumque, contra *Cumberlandi & Lockii præcepta*, metu regatur: illi verbo *oportet hoc fieri, illud non fieri*, ut plurimum coexistunt *mina*, & forte aliquid gravius. Hinc nascitur, & adolescit, & infixæ in mente residet notio *unius obligationis extrinsecæ*, & vix eripi nobis patimur inveteratam opinionem, non dari obligationem absque iubente, & *cognita nostra ab eo dependentia*.

Scholion.

Judicium BUDDEI de GROTIÏ (proleg. J. B. & P. §. XI.) vehemens in dissert. *de scepticismo morali*, *analectis eius philos.* inserta; p. 243. Grotium refellit PUFENDORF, huic assentiuntur LEIBNIT. in *præf. C. 7. G. D.* GUDLING. (*v. Gundlingiana part. 33. n. 3.* SAM. TREVER ad *Puf. de O. H. & I.* III, 10. Contra cum Grotio facit WOLF. (*thun und lassen I.* 10) & huius interpretes plerique. Præ cæteris solide hunc defendit BILFINGER *dilucid. §. 506. seqq.* Nodos non nullos solvit BURLAMAQUI *principes du droit naturel part. 2. c. 7.*

b) Certitudinis subiectivæ possibilitas, ex viribus animæ humanæ demonstrata.

1) Cer-

- 1) Certitudinem dari *completam & mathematicam* de moralitate actionum, quarum confectaria sunt necessaria. Certitudinem dari, & sufficere, *moraalem*, (hoc est, maiorem verisimilitudinis gradum in veritatibus contingentibus, certitudini supparem) quoad determinandam *ex confect. conting.* actionum moralitatem.
- 2) Fontem certitudinis subiectivæ esse, tum experientiam immediatam & mediatam, tum probationes a priori. Probationes ab *experientia* muniri historiarum monumentis. Ex quibus constet identitas appetitionum humanarum omni tempore, identitas nexus inter consequentia actionum & has ipsas, (seu eventorum humanorum circuli) & sic, quemadmodum a pulchris deformia *naturaliter* differunt ita discrimen boni & mali moralis *non opinione*, sed *natura*, constare.
- 3) *Cautiones* in hac probatione observandæ:
 1) ut circa *experientiam ipsam*, & quidem *immediatam*, vitium sub *obreptionis*; circa *mediatam* in primis fallax argumentatio a coexistentia & constanti successione ad realem influxum; circa *experientiam* vero *alienam* præiudicata, tum nimix confidentiæ, tum nimix diffidentiæ, opinio evellatur. 2) ut contra leges logicæ, de modo *abstrahendi veritates universales a singularibus*, serventur.
- 4) Fon-

4) Latebræ scepticiorum moralium investigatæ & destructæ.

Scholia.

a) GROTII error, non dari in morum disciplina certitudinem, Mathesi propriam, undenam ortus, & quomodo refellendus?

b) Fallitur CHRIST. THOMAS. *in fund. I. N. §. XIV. p. 90.* cum errorem de incertitudine *Ethica philos.* artibus clericorum acceptum refert. Rectius huius hallucinationis originem a dominatu STAGIRITÆ, (v. Nicom. I, 3. seq.) & inertia in demonstrando, repetieris.

c) Late patet eorum error, qui, in tanta legum naturalium luce, ad dirigendas actiones liberas, *probabilismum moralem* sufficere contendunt, quæ quam exitiosa sit doctrina, vivis coloribus depictum leges in MONTALTII i. e. PASCALII *litteris provincialibus.* Origo huius opinionionis, progressus, fautores eius principes, & nobiliores adversarii. Distinctio probabilistarum & probabilioristarum. Recruduit non ita pridem hæc controversia, ex quo CORSINI eo in genere doctrinam asperius, quam solidius oppugnavit G. Francisc. HOFMANNUS.

Sect. XII.

Cognitionis de L. N. perfectiones

(A) est sextuplex

a) extensio

b) magnitudo

c) claritas

d) veritas (logica sc.)

e) certitudo, (subiectiva) sensitiva (huiusque præstantior gradus æsthetica,) rationalis, erudita.

f) vita.

(B) Causæ cognitionis imperfectæ, in primis incertæ, ex propositionibus practi-

D

cis

cis precariis, a prima inde institutione haultis, rationis analogo, intellectu, & ratione, negligenter cultis, ex confusione *consecratorum contingentium cum necessariis, similitudinis accidentalis cum essentiali, &c. exorta.*

- (C) Cognitionis de L. N. *scientificæ* præstantiam evincit, quod quo clarior perspicientia nexus, inter propositiones quasque & criteria veri, homini contingit, eo hæc destinationi *intellectus & rationis* essentiali est convenientior, & eius ipsius adeptio studio uniuscuiusque tanto dignior, quo id, in quo versatur, cum *principe hominis sine* est coniunctius 2) quod facit ad muniendum pectus ab illecebris malorum libidini suæ litantium, qui *questis boni & mali coloribus* se aliosque præcipites dare solent, & ad obtinendam firmam animi propositionem, quam speciosa tot *sectarum* argumenta inflectere non valeant. 3) quod ope demonstrationis multi tectiores deprehendantur errores, multa peccata, olim ignota, agnoscantur.

Scholion.

Demonstrationum commendatoribus obiicitur 1) superfluum impendi laborem, (at hunc vero refugiunt adversarii) ob *veritatum moralium evidentiam; cordi inscriptam esse legem N. cet.* Obvertim is huic enuntiato expectantiam. Ipsam in multis capitibus *demonstrandi* difficultatem sentient, qui tentaverint. *Cordi inscripta* dicuntur, (ep. ad

ad Rom. II, 15.) vel ob *facilitatem cognitionis*, v. CLERIC in *arte crit.* I, I, 4. vel quod principia cognoscendi obiectiva & organica homini connata sunt, & iis veritatibus opponuntur, quarum intelligentia *fide* subnititur. Eorum, qui notitiam legis nat. animæ, dum corpori a Deo immitatur, infundi putant, audax est suspicio, cui nullam fidem facit experientia. 2) *Demonstratores plerumque procliviores esse ad præsumtam systematis opinionem* v. III MAUPERUIS *lettre 7.* Sed hoc vitium nec *per se* cohæret demonstrandi studio, & ad ipsum id genus præiudiciæ evellendum efficax est demonstratio: obstinatio contra eorum pernicacia, in quorum vita *precarie hypotheses* dominantur. 3) *Nimis eosdem subtilitatibus indulgere solere, res magnas, & quotidianas, negligere.* Sed hoc redolet *prurimum demonstrandi*, quem in vitio ponimus. 4) *Demonstrandi studio vitam cognitionis fieri inertem, & interdum penitus interire; testem eius rei esse histrioniam eruditorum, quorum ab oratione vita longe distet, viros, quorum philosopha sit sententia, sed ignava opera.* Sed a) ostendant, qui hæc occinunt, huius in agendo inertia causam efficientem esse solidiorem veritatum moralium intelligentiam. b) Commendanda L. N. *scientia* non excludimus cognitionem earum ardentem, uti qui *eruditam* laudat rerum notitiam, non reprobat pulcrum. c) Utraque cognitionis perfectio coniungi potest, si propositiones, quas geometrarum more demonstrandi facultatem comparasti, crebro, in primis in sollicito actionum & eventorum quotidiano examine, *ad te ipsum applies, propriamque* hoc modo *experientiam cum ratiociniis coniungens*, stimulos tibi ipsi admoveas, ut non solum sis *contemplator veri*, sed & *effector boni*.

(D) Amplitudini cognitionis tantæ, quanta in regendis singulis actionibus *exigitur*, opponitur *paupertas*. *Ignorantia* nulla quo ad L. N. *absolute invincibilis*. Quo commodior eam vincendi se obtulit occasio, quo vires cognoscendi fuerunt maiores, vel

natura, vel institutione, quo veritas, quæ ignoratur, fuit fecundior, gravior, & simul patentior, atque idcirco propriæ meditationis vi facilius intelligi potuit; eo plus minusve in tali ignoratione inest ametriæ.

Seçt. XIII.

Ethica (disciplina)

- a) *Latiore significatu est scientia (catena demonstrationum) legum moralium. Strictius dicta est scientia obligationum internarum hominis.*
- b) *Divisiones Ethica. Naturalis alia, positiva alia: huius species nobilissima christiana, quæ theol. moralis nomine venit. Illa, num subdividenda in connatam & artificialem?*
- c) *Perfectio. Est consensus cum natura hominis morali, & principiis veri catholicis.*
- d) *Methodus scientifica commendata in docendo, & in vita cognitionis animanda exemplaris, fabularis, symbolica, Socratica.*
- e) *Aberrationes ethicorum in ethica blandiente, morosa, deceptrice, chimerica, ostensa. Tanto imperfectior est Ethica, quanto longius ab archetypo suo, nempe natura, deflectit in conclusionibus, & a principiis demonstrandi tum catholicis, tum, quæ hisce subiecta sunt, cosmologicis,*

logicis, psychologicis, theologiæ naturalis.

Scholia

1) Ab Ethica distinguimus *disciplinas practicas*, quarum finis princeps est prosperitas, seu *complexus bonorum, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & recreationem pertinent*. Nam uti medicina diætetica, qua talis, non est pars ethices, etsi regulas utilissimas præcipiat, media optima ad finem sanæ constitutionis tendentia eligendi: ita neque *Oeconomia*, neque *Politica*, sunt partes Ethicæ, quoniam in neutra disciplina agitur de obligatione morali, sed prudentia hominis in electione mediorum adæquatorum, ad fines quosdam, cum externa hominis perfectione connexos, obtinendos, instruitur.

2) *Oeconomiam* voco disciplinam, quæ media moraliter bona & utilissima, res, ad vitæ necessitatem, commoditatem & recreationem pertinentes, adipiscendi, & conservandi, docet. Estque vel *publica*, vel *privata*. Illa iterum duplex: & vel restringitur ad curam vestigalium ac generatim reddituum regnantis in civitate; (*die Cameral Wissenschaft*) vel dirigit actiones civium ad finem œconomix obtinendum: cuius obiectum est res œdilitia, (*das Policey-Wesen*) præcipue cura mercaturæ & commerciorum, *die Handlung*, cum stirpe sua, cura rei agrariæ, & opificariæ.

3) *Politica* est disciplina, quæ præcipit media moraliter bona & utilissima ad varias perfectionis internæ & externæ species, ex societate humana percipiendas, & varias imperfectiones, ab eadem imminentes, aut susceptas, amovendi aut tollendi. Est a) *publica*, b) *privata*.

Caput III.

Jus naturæ cogens.

Sect. I.

Officiorum socialium inter homines universalium a) notio, & b) mensura.

A. Vires homo quisque suas vel ita dirigere potest, a) ut turbet alios homines in usu realitatum, quas possident: vel b) ut ipsis eas plane auferat: c) vel ut impediatur incrementa perfectionum alienarum: vel d) ut impediatur cessationem defectuum alienorum: vel e) ut iuuet alios in acquisitione realitatum, aut f) in diminutione defectuum: vel g) ut sit causa solitaria efficiens perfectionis cuiusdam alienæ extraessentialis.

B. Pone naturam præcipere, ut homo hominem iuuet, suisque viribus eius realitates augeat, defectus minuat: ex tali præcepto naturali orientur officia ad eum finem comparata, ut nexus socialis naturalis inter homines constabiliatur, a quo *socialia* appellantur, & quia concipiuntur ad universos pertinere homines, dicuntur *universalia*. Sunt hæc igitur officia humana, quorum ratio determinans est perfectio generis humani, consociatis singulorum hominum viribus parabilis.

C. Habitus hisce officiis satisfaciendi vocatur

catur *honestas*: in qua dantur varii gradus perfectionis, pro ratione nobilitatis elaterum efficacium, & maioris aut minoris actionum honestarum (frustra reluctantibus gravioribus ad malum tentationibus) successione.

D. Actio, quæ gradum obligationis cuiusdam socialis determinatum superat, est meritum strictius dictum, & is, qui tali actione ultra obligationis determinatæ socialis mensuram ascendit, de alio bene mereri dicitur. Contra qui se mereri contendit, dum in determinato obligationis socialis externæ gradu subsistit, is *meritum iactare inane, nullum habere meritum*, dicitur. Igitur, in *civitate Dei*, quoad *religionem*, nulla dantur *opera meritoria*: (supererogatoria) & frustra colligitur *meritorum in ecclesia thesaurus*.

Sect. II.

Existencia eorum demonstrata

- a) Ex indigentia connata, & impulsu ingenito illi medendi.
- b) Ex instinctu ad philanthropiam, & naturali aversatione adversus homines, in quibus eiusdem instinctus energia suffocata videtur.
- c) Ex compluribus stimulis innatis, intentionem & protensionem instinctus ad philanthropiam promoventibus & alentibus.

bus. Huc pertinet 1) Instinctus *miseri-*
cordiæ. 2) nisus ad *acquiescentiam in se ipso ex*
facto nobili, 3) incitatio naturalis, hinc ad
institutionem alterius, illinc ad *imitationem*
(*der nachahmungs trieb*), 4) stimulus ad *satis-*
factionem ex comprobatione aliena, 5) ad *vo-*
luptatem ex significatione mentis, 6) *commu-*
nicatõrius. *Gaudes, causam realitatum*

fieri in aliis. 7) Stimulus & *defensio-*
nis, vindictæ, & talionis, (scu iustitiæ) cuius internæ
approbationi non magis resisti potest,
quam convictioni de veritate sensatio-
num externarum & demonstrationum.
8) Impatientia insita *ludibrii & huic sub-*
iecta ingenerata averfatio perfidiæ; 9) *Sti-*
mus propagatõnis. 10) *soğyn* parentum
erga liberos. 11) Fuga *insita mentis ingra-*
tæ. Sumtiones POPPI, HOUTCHIN-
SONII, SCHAFTSBURY, HUMII *de*
su morali & publico examinatæ.

- d) Ex perfectione cuiusque, tum externa
tum interna, in ea ætate, in qua domi-
natur ætatis analogon, *sensitive*, in ea au-
tem, quæ radios rationis transmittit, *di-*
stincte cognoscibili.
- e) Ex harmonia humani generis, alterno-
rum officiorum vinculo colligati, cum
legibus cosmologicis.
- f) Ex teleologia particulari, quæ ex facto
naturæ, indigentiam mutuam, & instin-
ctus ad medelam illi communiter adhi-
bendam, ingenerante, *analogia in regno*
animali, colligitur.
- g) Ex

g) Ex sapientia & bonitate creatoris.

Sect. III.

HOBBSII, hominem a natura ad culturam societatis non esse aptum, sed malum demonem esse, contententis, speciosæ argumentationes refutandæ.

a) Ostendatur, solitudinem, malevolentiam & misanthropiam, esse naturæ adversas. In originem malignitatis alternæ inter homines, causas, progressus, summique tandem culminis rationes, inquiratur.

b) De vi argumentorum, quæ ab hominum, inter feras repertorum, diffidentia adversus homines petuntur, differetur.

Sect. IV.

Suum, imprimis naturale, expositum. Sunt quædam corporis & status externi nostri determinationes contingentes *actuales*, quarum

a) privatio per vires corporis alieni vel totalis vel partialis est physice possibilis,

b) quarum contra ea conservatio per vires corporeas est æque physice possibilis, denique

c) quarum duratio aut interitus, ab aliorum hominum incuria, indulgentia, aut petulantia, pendens, præ cæteris tædiis, quæ homini ab homine nasci possunt, gignit acerbissimum. Aggressio determinationum corporis statusque externi nostri

D §

con-

contingentium, viribus corporis alieni tentata aut peracta, est vis externa.

Conservatio earundem viribus corporeis, alienæ aggressioni oppositis, est *conservatio*, (tutela,) *per vim*, & obtineri potest vel *resistendo*, ut vis aliena frustra rō nostro intentetur, vel *recuperando* per vim id, quod ex toto earum determinationum per vim ablatum est. Earum determinationum conservatio aut amissio rationem suam habens vel in negligentia aliorum vel in petulantia, foret illarum dependentia ab alieno beneplacito. Pone, legem moralem huiusmodi aggressiones prohibentem, violentam autem tutelam permittentem; efficitur earum determinationum independentia ab alieno beneplacito. Et hoc est, quod *suum* quisque vocat, *significatu proprio*, s. *iuridico*. Nempe complexus determinationum corporis & status externi contingentium, quatenus ab alieno beneplacito sunt independentes. In notione τῆ sui ponitur 1) determinatio corporis vel status externi, quæ per vim alienam externam laceffi, eripi, destrui potest physice, 2) sed cuius imminutio vel destructio aliis hominibus non est possibilis moraliter. Huius sui sunt 3) partes, a) vita & corporis integritas, b) *quoad statum externum* libertas externa, (*αὐτονομία* est independentia ab alieno arbitrio

arbitrio in directione actionum externarum)
c) iura (h. e. complexus obligationum alienarum ad aliquid patiendum a nobis fieri, vel agendum, moraliter possibile) & res propria.

Pone, dari cognitionem independentiæ huiusmodi determinationum per vires naturales, & ex natura hominis immediate *absque fide* explicabilem: efficitur *suum naturale*, s. complexus determinationum corporis & status externi, quarum independentia ab alieno beneplacito est *absque fide* ex natura humana explicabilis. KOEHLERI definitio τῆ sui I. N. §. 747. est *latior definitio*. Ab hoc differt *suum positivum*, quod per fidem cognoscitur, e. g. *suum civicum*.

Suum naturale subdividitur in *absolutum* (sive *originarium*, *connatum*) & *hypotheticum*, sive *acquisitum*. Illud est *suum cuiusque naturale*, cuius cognoscibilitas habet rationem *proximam in natura humana*. *Suum naturale acquisitum* est *suum naturale*, cuius existentia immediate ex facto, mediate ex natura humana, est cognoscibilis. *Inviolabilitas utriusque sui naturalis est sanctitas* (significatu iuridico) *hominis externa naturalis*.

Sect.

Sect. V.

Propositiones universales de suo naturali demonstrandæ.

Propositio

- 1) Suum alterius aggredi ex beneplacito, est naturaliter nefas.
- 2) Defendere autem resistendo per vim, & violatum, neque ultro reparatum, recuperare per vim, naturaliter licet.

Demonstrantur a) ex stimulo naturali quietis externæ propriæ. Hæc est absentia incertitudinis de iactura aut conservatione $\tau\grave{e}$ nostri, pendente ab aliena petulantia aut indulgentia. b) Ex instinctu naturali defensionis, & vindictæ, c) ex stimulo libertatis, in puerulis fortiori, in his, & adolescentulis, fonte pertinaciæ, & in adultis multorum adversus instituta civilia facinorum, insuperabilis sæpenumero adversus amica consilia pervicaciæ, incitamento, d) ex fuga infita læsæ communis securitatis. Hæc est absentia formidinis communis, ne tranquillitas aut turbatio possessionis $\tau\grave{e}$ sui ab alieno pendeat beneplacito. Hinc intelligitur, cur in fabulis & historiis perturbatorem securitatis communis, per æque oderimus, ac hostem nostrum. e) Ex nexu quietis externæ cum cæteris officiis naturalibus: quorum implementum absque illa sæpe foret impossibile. f) Ex

f) Ex insufficientia cæterorum motivo-
rum impediendi turbationem quietis
externæ, sublata vi externa, & sic ex ne-
cessitate huius medii ad obtinendos fi-
nes naturæ. g) Ex comparatione con-
fectariorum, quæ adhibita vi externa ad-
versus invasores τὴ nostri oriri possunt,
tum quoad invasores ipsos, tum quoad
alia extra hos, cum serie malorum ma-
iorum, genus humanum oppressura, si
viobtentata τὴ sui conservatio esset natu-
raliter illicita.

Sect. VI.

Officiorum socialium, quæ ab amore no-
men habent, & coactivorum, seu strictorum
(imperfectorum, minus plenorum, perfectio-
rum, plenorum) naturalium differentia (*Natur-
liche liebes und zwangspflichten*)

a) *Officia coactiva (stricta) naturalia sunt offi-
cia socialia naturalia, quorum implementum
per vim externam extorqueri, naturaliter est
licitum. Coactiva dicuntur a coactione per
vim licita, quæ fortiorem eorum elaterem
constituit. Coactio per vim est productio
actionis invito per vim externam. Si vis
externa actu inferatur, oritur inde coa-
ctio physica: sin vis externa licita metui-
tur, oritur inde coactio moralis.*

b) *Officia naturalia coactiva non exclu-
dunt motiva officiorum naturalium car-
ritatis, sed his etiam muniuntur, super
addi-*

additum autem continent elaterem a metu coactionis per vim.

c) Differentia non potest demonstrari ex hoc criterio, in quo subsistit WOLFIUS: quod officia stricta tendant eo, ne alter per alterum fiat imperfectior, minus plena autem eo tendant, ut alter per alterum fiat perfectior.

d) Demonstrari autem potest ex *essentia* nexus generis humani, interitura, si qualiscunque imperfectio nostra, in alienis actionibus aliquam, imo sufficienti proximam, rationem habens, vi externa vindicari possit, sique contra ea qualiscunque perfectio, ex praescripto legum naturalium, alieno auxilio nobis adicienda, coactioni per vim subesset. Quod exemplis ingrati animi, *miseri cordia, venusta humanitatis, lenitatis, obligationis ad amicitiam, & virtutes homileticas*, illustratur.

Nam probatio, quod huiusmodi officia dolo culpave neglexeris, vel violaveris, est difficillima, & aliquando impossibilis, ob impenetrabiles saepe animi recessus, & circumstantia minima influxum in certitudinem huius imputationis. Lex naturae efficeretur fomes litium, & lupis praedae inhiantibus agnos permetteret devorandos, si sumatur, in istiusmodi officiis extorquendis *tribunal inquisitionis* universo generi humano

mano à natura apertum, plenamque vindictæ licentiam datam esse.

- a) Quia *speciatim multa* interituræ essent officiorum socialium naturalium species, qui bus, etiam oblati, carere, & tibi vivere, quam in societate perpetuis vellicationibus & insultibus exponi, malles.
- b) Quia coactio per vim cum quorundam officiorum socialium notione: pugnat, e gr. propagatio veræ religionis,

Sect. VII.

Harmonia utriusque officiorum socialium generis, pariter atque officiorum strictorum cum religione & officiis erga nos ipsos, adserta.

- a) Non sunt sibi contradictorie opposita, sed membra dividenda unius eiusdemque conceptus superioris, nempe officiorum socialium naturæ convenientium. Repugnantia opinata oritur ex falsis quorundam doctrinis, ad ethicam deceptivam aut chimæricam pertinentibus.
- b) In *collisione utriusque officiorum socialium generis* semper vincunt *stricta*. Nam his violatis ius alteri subnaferetur *nostrum* invadendi: ex quo impetu plus mali in nos redundaturum esset, quam ex neglectu alterius cuiusdam officii socialis, cui simul satisfieri nequit. Deinde magis interest societatis humanæ, sancte custodiri officia stricta, ob summam

nam confusionem, quæ licentiam la-
cescendi alios sequitur, quam alia quæ-
dam officia imperfecta impleri, si utrum-
que simul effici non potest. Igitur cum
lege perfectionis pugnaret, minori obli-
gationi obtemperari, dum maior pro-
culcatur.

Sect. VIII.

Jus.

Etymologia & variæ vocis significationes
explicata.

Jus (constituens)

- 1) *Latissime est complexus legum similium circa actiones arbitrarias.* Hunc in modum interpretatur vocem **ULPIANUS**, cum iuris naturalis pomœria ad omnia pro- tendit animantia, etsi bruta non agant secundum libertatem, sed secundum arbitrium sensitivum.
- 2) *Latius est complexus legum similium mora- lium.* Ex hoc oritur *ius constitutum*, id est, *materia iuris constituentis*. Et ea quidem duplex, vel a) facultas moralis, quæ & *ius* appellatur, vel b) obligatio.
 - a) *Est vis physica agendi, lege morali non restricta*, cuius intuitu hæc dicitur *ius permittens*, (*permisivum*). Actio talis au- dit permissa, seu indifferens. Ipsa qua- litas personæ, facultate physica præditæ, per legem non restricta, appellatur *eine Befugnis*. **GROTIUS** attributum perfo-

personæ dixit. Huc pertinet locutio, iure suo uti, & porro, quilibet iuri suo renuntiare potest.

b) Si restrictio possibilitatis physica agendi lege morali continetur: tum ius nascitur prohibens (prohibitivum).

c) Sin facultas physica agendi per legem moralem ad finem certum dirigitur: ius cooritur præceptivum.

Nihil in hac locutione: *lex permissiva*, inest repugnantia. Nam est *lex intuitu aliorum spirituum*, vel *speciatim hominum*, quorum, ne alterum in usu virium naturalium impediatur, *ligat manus: permissiva*, intuitu eius, cui afficit, ne ab aliis impediatur. Est enim *permissio significatu stricto*, *auxilium morale*, ne quis in usu virium suarum turbetur.

3) Strictius est *complexus legum moralium similium coactivarum* (das *sittliche Zwangsrecht*). Dicuntur *coactivæ*, ab *obligationibus socialibus strictis*, supra definitis, quas constituunt. Facultas physica agendi, legibus coactivis non restricta, est *ius strictum*, (*eine Zwangsbesugniss*) dictum a potestate, vim adhibendi adversus eos, qui usui virium naturalium nostrarum resistunt. Quod ratione originis l. est *connatum l. acquisitum*. Connatum est ius (pro qualitate personæ acceptum), cuius ratio

E

proxima

proxima continetur in naturali constitutione hominis. *Acquisitum* est ius, cuius ratio *proxima* continetur in facto quodam hominis proprio aut alieno, *ulterior* autem in naturali hominis constitutione. Utrumque *ius strictum* appellatur quoque externum, seu *perfectum*: a quo differt *internum*, (seu *imperfectum*), quod motivo coactionis per vim, quoad obligationem alterius, non est mutuum.

Propositionum ubi ius strictum ex una parte, ibi obligatio stricta ex altera parte, & vice versa, veritas contra GUNDLINGIUM asserta.

Sect. IX.

Juris naturæ cogentis definitio.

- a) Logomachia veterum & recentiorum philosophorum circa hanc definitionem indicata.
- b) Jus N. cogens est complexus iurium & obligationum socialium naturalium strictarum.
- c) Convenientia legis naturalis strictæ cum reliquis partibus legis naturalis socialis, posita est a) in origine utriusque, b) in principiis demonstrandi, c) in gradibus perfectionis, speciatim certitudine. Differunt contra a) in *sine*: siquidem per legem strictam tantum *quæritur*

ritur felicitas externa partialis, posita in securitate, b) in motivis, (c in viribus ad executionem utriusque legis necessariis. Carneadis, iustitiam pro stultitia habentis, argumenta explosa. MANDEVILLII, in fabula de apibus, cavillatio, quod nulla foecietas maior florere possit absque iniuria & sceleribus, dispulsa.

Sect. X.

Principium cognoscendi ius naturæ cogens logicum est propositio: *salva inter homines universos maneat securitas.*

- a) Demonstratur, principium esse verum domesticum & determinatum, ex nexu cum principio primo præceptionum naturalium, superius allato
- b) Axiomata ex hoc principio collecta.
 - 1) quicquid per se tollit securitatem, secundum ius naturæ cogens est vitium, 2) quicquid securitatem non tollit, secundum i. n. c. est permissum seu indifferens, 3) quicquid securitati ita convenit, ut oppositum eius essentia contrarietur, secundum i. n. c. est præceptum.
- c) Ita quaestiones illæ, num naturaliter liceat (nempe in foro iuris N. C.) contemnere Deum, durum se præbere miseris, in se ipsum sævire, libidini indulgere, in contentionem, non de re, sed de voce, abeunt, nec sane est, cur eos, qui negant, crimine hæreseos compelles.

Sect. XI.

Fontes inanium litium de principio cognoscendi i. n. c. investigati.

- a) Oriuntur ex variis definitionibus, iusto latioribus aut arctioribus, iuris naturæ cogentis b) ex incertitia demonstrationum logicarum. Speciatim
- b) Cur non sufficiat enuntiatum, *quod tibi non vis fieri &c.* cur periculosius, quam verius, nec *determinatum* sit principium, a gentium consensu ductum, ostendetur.

Sect. XII.

Naturaliter iustum

- a) Iustum est, *legi morali stricta consentaneum*. Et quidem duplex vel *preceptum* (debitum), vel *permisum*. *Inustum*, quod cum ea pugnat. *Iustum naturaliter*, quod legi naturæ præcipienti vel permittenti est consentaneum. Idem naturaliter licitum, *iure fieri*, dicitur. *Inustum naturaliter*, quod legi naturæ cogenti est repugnans. *Lædere* (iniuriam, latius dictam, alteri facere) est *actionem lege morali stricta præceptam omittere, prohibitamve committere*. Omnis proinde læsio (iniuria latius dicta) est turbatio securitatis inter homines: quia est actionis legi naturæ cogenti adversæ admissio, aut in ea præceptæ intermissio. *Differt ab offensa,*

b) Iustum

- b) *Justum differt ab honesto.* Hoc est id, quod legi sociali, coactionem humanam prohibenti, est consentaneum.
- c) *Justum differt ab utili.* Hoc enim est, quod continet medium ad obtinendum finem, sive sit medium bonum sive malum moraliter, sive sit finis moraliter bonus, sive sit malus.

In vulgato illo; *Sola bona, quæ honesta, sola utilia, quæ iusta, strictior utilitati, significatus subiicitur, nempe, ut sit possessio externorum vitæ commodorum illæsis officiis socialibus comparata.*

- d) GROTII *J. B. & P. I, 2, n. 3.* definitio, qui *iniustum* vocat, quod *necessariam cum natura rationali ac sociali* habet *repugnantiam*, caret nota determinata.

Sect. XIII.

Justitia

- a) Vel eam interpretamur *obiective*, vel *subiective*. Prior est peræquatio consecratorum actionis moralis cum quantitate rectitudinis aut anomaliz. Hinc ius talionis & Rhadamanteum Hinc naturalis indignatio & conquestio de iniustitia, si par pari non referri animadvertimus. Eodem significatu utimur, cum dici-

mus aliquid *iustitiæ convenire*. Neque solemus ulterius adscendere, & in genesin *iustitiæ* omnis inquirere. Hoc enim si fiat, originem *iustitiæ* inveniemus in bonitate dei erga spiritus proportionali, quæ facit, ut non solum ipse deus parem factis esse velit mensuram bonorum & malorum, verum etiam hominibus dederit sensum huius peræquationis, ut ad eam comprobendam non demum ratio-cinio, sed innata quadam naturæ vi trahamur.

- b) Posterior vel intelligitur *latius*, vel *strictius*, vel *strictissime*. *Latius* accepta denotat convenientiam actionis cum legibus societatis cuiusque fundamentalibus, sive essentiam societatis constituentibus. Non convenit nisi in spiritus. Deus ipse iustus est, dum civitatem suam secundum leges eius fundamentales, liberrime conditas, temperat.
- c) *Strictius* significat convenientiam actionum cum legibus societatis humanæ, vel naturalis, vel positivæ, fundamentalibus, estque hoc significatu, si effectum solum intuearis, *externa*, si elateres animi simul consideres, *interna*. Veterum Ictorum definitio, Stoicismum ipsis familiarem redolens, restringenda est ad *iustitiam internam*. De hac sola quoque intelligas illud: *iusto (interne) non est lex (stricta) posita*.

d) *Stri-*

d) *Stricteffime*, est convenientia actionum hominis *externarum* cum legibus coactivis naturalibus, aut positivis, quam GROTIUS *explettricem* vocat.

e) WOLFIANAM iustitiæ definitionem latiore re definita videri. LEIBNI-TIUS in præf. C. J. G. *dipl. vocat caritatem sapientis*.

Scholion.

WOLFIANA definitio, (quam videtis *theol. nat. part. I. §. 107.*) quod sit bonitas sapientia attemperata, non coniunct notionem iustitiæ determinatam: quanquam multum ei tribuat, & fecunditatem eius admodum laudet, vir beatus in *subiecto scholio*. Nam a) vitiosa superstruitur bonitatis definitione, quæ non in sola promptitudine aliorum perfectiones promovendi, seu, ut alii efferunt, realitates alijs entibus conferendi (v. § 695 d. l.) posita est, siquidem, semoto quod appellat, temperamento per sapientiam, confunderetur cum *prava indulgentia*; vitiorum patrona & illice, sed promptitudinem illa sapientiæ attemperatam omnino exigit; bonitas enim *inspiciens*, bonitas, quam *secundam* vocare moris est, non magis est bonitas, quam omnis *scientia mediorum* (§. psych. rat) prudentia, quæ sic non distingueretur a *calliditate*. Igitur nullam diversitatis notam affert superior definitio, qua iustitiæ a bonitate, hoc est, vera, quæ id nomen vere meretur, internoseas. b) Constituta ista definitione, etiam iustitiæ erga nulla non bruta animantia, & res inanimatas locus foret, (v. §. 702. d. l. *theol. nat*) quod ab usu loquendi abhorret. c) Non convenit in singulas species, sub genere comprehensas. Datur iustitiæ externa, absque ullo bonitatis & germanæ sapientiæ vestigio. d) Repugnat systemati de civitate Dei. Secundum illam enim definitionem fieri non posset, ut homo iniustus sit adversus numen Dei, ut cuius realitates neque diminutionis, neque incrementi sine capa-

ees. Doctrinæ theologicæ de *iustitia Dei vindicanti* ut *infernæ*, condita fuit hæc definitio. Sed illa alia ratione expediri, & contra quæcunque adversariorum tela armari, potest.

f) *Divisiones iustitiæ, strictissime dictæ, in naturalem & positivam, huius species est civilis. Quam subdividimus in rectoriam, & obedientem: illam iterum subdividimus in vindicantem, remunerantem, & attribuentem.*

g) *ARISTOTELEÆ, in universalem & particularem, commutativam & distributivam, explicatæ & defensæ.*

Confer. III. GEBAUER. solida commentatio de *iustitia & iure.*

SECT. XIV.

Differentiæ imputationis naturalis in foro iuris naturæ cogentis ab ea, quæ in foro ethico instituitur.

A) Imputatio naturalis est imputatio moralis secundum legem naturæ. Hæc vel est lex naturæ socialis cogens, vel lex amoris, (coæctioni hominis per vim externam resistens, quam proponit Ethicus). Ergo duplex oritur imputatio a) in foro iuris naturæ cogentis, b) in foro Ethico.

B) Differunt 1) in obiecto, & quidem qualitate actionum moralium diversa a) quoad causas impulsivas & finales. In illa non attenditur intentio, sed effectus inspicitur

itur. Furtum in egeni gratiam commif-
fum manet furtum, licet in foro ethico
excusatius b) *Decretum, eiusque executio-*
nem. In illo non attenditur facilitas de-
terminandi sese ad rectum, vel & cona-
tus *efficax* quidem, sed non *efficiens*: in
hoc spectantur: c) *consectaria.* In illo
non imputantur in infinitum, sed sola ia-
ctura immediate ex actione profecta: in
hac res aliter se habet, *offendicula accepta*
etiam aliquando imputantur.

Differunt 2) in *quantitate imputationis.*
a) In foro ethico spectatur quantitas li-
bertatis, (ex. gr. veniunt in computa-
tionum tentationes ad malum, vitiosa
educatio &c.) hic par mensura est, & re-
stitutio vel satisfactio læsis debetur abs-
que hac dimensione. b) In foro ethico
difficilius est meritum sociale: in hoc
facilius. c) In hoc non attenditur ela-
terum nobilitas, quæ in illo vel maxime
venit in computationem.

C) Imputatio actionum alienarum in foro
stricto vulgo his capitibus absolvi di-
citur: *Jussio, consilium, consensus, palpo, re-*
cursor, participans, mutus, non obstant, non
manifestans.

D) Imputatio *facti proprii* in foro stricto
subsistit vel

1) in *externa innocentia*, hoc est, vacui-
tate reatus ex læsione, vel

E s

2) in

- 2) in reatu ex duplici læsionum specie
 α) dolo, id est, *intentione lædendi*,
 β) incuria, seu culpa, obligationi
 connatæ aut acquisitæ contraria.

Utriusque mensura multum in
 utroque foro diversa.

Sect. XV.

Jus Naturæ Cogens systematice intellectum,
 & iurisprudentia naturalis.

- a) Jus naturæ cogens est scientia legum
 naturalium coactivarum f. strictarum.
 b) Utilitas huius disciplinæ.
 c) Methodus optima.
 d) *Jurisprudentia est habitus leges sociales stri-
 ctas ad facta applicandi.*

*Naturalis est habitus leges naturales stri-
 ctas applicandi ad facta.*

- e) Gradus perfectionis determinantur am-
 plitudine, magnitudine, cognitionis le-
 gum naturalium solidæ, facilitate facto-
 rum veram moralitatem determinandi,
 & cautione, *Ethica* atque huius disciplina
 fines, accurate regendi.
 f) Errores publice & privatim exitiosi,
 ex confusione earum disciplinarum ma-
 nantes, exemplis illustrati.

Sect.

Sect. XVI.

Historia iuris naturæ enucleata, a) quoad doctrinas ipsas potiores, b) methodum.

1) *Ante Christum* natum, Orientalium populorum & Græcorum, 2) post C. N. Romanorum, patrum ecclesiæ, Scholasticorum. Imminentium per nebulas radiorum lucis sæculo XVI. exeunte. Vidit miseram huius disciplinæ conditionem, & emendationem suavit *Baco de VERULAMIO de augm. scient.* Tentarunt Nic. HEMMING. 1562. & Bened. WINCKLER 1619. Laudanda utriusque voluntas, licet deessent vires. Restauratio, sæculo XVII. per H. & GUIL. GROTIOS. (Indignus est, qui cum HUGONE comparetur adversarius, SELDENUS) SAMUEL. PUFENDORFFIUM, HOBBSIUM, & huic opponendum CUMBERLANDUM, per CHRIST. THOMASIIUM, H. COCCIJUM, N. H. GUNDLINGIUM, & qui huius dicta rigore multiplicium demonstrationum firmavit, H. KOEHLERUM. Quæ antiquitus *doctrinæ* formam habuit, *discipline* autem faciem superiori sæculo obtinuit, hoc sæculo in *scientiam* conversa est. Judicium de L. B. de WOLF. meritis in hoc studiorum genere. Quam non satis cautus fuerit, in regendis Ethicæ philosophicæ & huius scientiæ finibus, ostendetur.

Laudes

Laudes eorum, quibus hoc sæculo in hoc stadio decurrentibus palma debetur: cum contra alii mole nova de tabernis melius, quam de his literis, meruerint.

Caput IV.

Jus gentium universale s. absolutum

Sect. I.

Possibilitas & existentia officiorum inter gentes universalium demonstrata, & adversus antiquorum, EPICURI inprimis, obiectiones vindicata.

Gens est multitudo hominum sub communi imperio civili consociata. Unaquæque gens, ob *unitatem moralem*, constituit *individuum morale*, & erga alias gentes eandem habet relationem, quam singuli habent erga singulos naturaliter. Exemptio igitur gentis de iuribus & obligationibus naturalibus vel rationem haberet in voluntate dei, vel in arbitraria gentis constitutione. Illud pugnat cum bonitate dei & iustitia, hoc rebellionem partis hominum congregatæ adversus legem dei saperet. Utrumque est falsum. Proinde existentia

tia officiorum gentis erga gentem strictorum vera.

Seçt. II.

Juris Gentium absoluti definitio, cum corollariis ex ea collectis.

- a) Est ius *N. strictum ad universas gentes applicatum.*
- b) Universalitas obligationis, & omnis exemptionis absentia, asserta.

Scholion.

Ausus pontificis Romani, eximendi gentes nonnullas, ex. gr. Privilegium *confessionariis Regum Gallie* 1351. a CLEMENTE VI. Pontifice ROMANO datum

Seçt. III.

De ratione status.

Quæ iuri gentium universali repugnat, iniusta est.

BÆLII consilium, ut aliquis in historiarum monumentis probe versatus de religione principum scribat. Partem eius argumenti illustravit TREUER *de iniuriis sanctitatis titulo exornatis.*

Duo tribunalia regnantium, a GRO-TIO, in præfatione commentationis de mari libero explicata.

Oratio, quam SCYTHIS, ab Alexandro M. oppugnandis, affingit CUR-TIUS VII, 8.

Caput

Caput V.

Jus positivum.

Sect. I.

Juris positivi origo, notio, necessitas.

- a) Jus naturæ quam plurimas actiones sapientiae & prudentiae legislatorum in societatibus humanis relinquit dirigendas, quarum determinatio legitima parit ius positivum. Hoc est complexus legum moralium similibus, ex natura humana non immediate demonstrabilium.
- b) Fines societatum singularum intermedii, ultimo, quem omnibus natura præstituit, quidem subordinandi sunt: sed mediorum tamen, quæ illæsa hac subordinatione utiliter eligi possunt, actualis electio confirmat necessitatem iuris positivi.
- c) In iure positivo, tanquam specie legis moralis, insunt *elateres positivi*, h. e. consecretaria cum actione a legislatore copulata, remota hypothese legis positivæ actioni minus successura. In horum numero sunt *præmia*, & *pœna strictissime dictæ*. Illa sunt præmia ob actionem, cum lege positiva consentientem, a legis illius auctore collata. Hæ sunt pœnæ, ob actio-

actionem legi positivæ adversam, ab il-
lius auctore irrogatæ.

Sect. II.

Juris positivi divisio in divinum & huma-
num.

Veteres hanc divisionem non ab origine,
quod hodie fieri solet, sed ab objecto re-
perunt.

Omne ius positivum divinum nun-
quam pugnat cum naturali. Quæ con-
cordia tum a priori asseritur, tum a poste-
riori convelli nequit.

Jus divinum positivum a) universale 1) *ve-
rum*. Est complexus legum divinarum
positivarum, quoad actiones humanas
externas, universum genus humanum,
cui innotescere potuerunt, obligantium.
Potuisse Deum tales dare leges, vix quis-
quam dubitaverit, cui de possibilitate
revelationis divinæ, tum *strictim*, tum
strictissime dictæ, sit persuasum.

An dederit autem? facti quæstio est,
quæ huc redit, num extent tales in sacro
codice, quibus definitio nostra accom-
modari possit? Certe Levit. 18. ad solos
pertinuisse Judæos, non arbitror, tum
quod quinques ibi, initio & in fine, repe-
titur locutio: *in diesen allen*, & poenas quo-
que ethnici dederunt, tum quod Levit.

20, 22 - 25. obligationes universales & particulares aperte distinguuntur. Sed quousque sint leges positivæ? quousque exemptioni supremarum potestatum subsint, dicemus in recitationibus.

Interim cf. Excell. MICHAELIS *von den Ehegesetzen Mosir.*

2) *Spurium. Septem præcepta Noachi, a SELDENO exposita. Lumen fanaticum.*

b) Particulare 1) *forense.* Huius obligatio inter Christianos nulla superest. Quatenus instituta Dei forensia cum præceptis œconomicis, politicis, civitati cuique propriis, & iuris publici universalis, congruunt: eatenus obligant, non ut ius positivum, sed ut conclusiones legis naturalis. *L. de fenore, decimis furto.*

MOSES LOWMANN *von der burgerlichen Regierung der Israeliten.*

2) *Carimoniale.* A Christo devotis non receptum, (v. *Actor. XV.* decretum Apostolorum,) neque ex mente legislatoris recipiendum. Quantumvis enim PETRO eius conservatio necessaria & utilis videretur, (quod, ut effugerent *Porphyrii* cavillationes, antiqui nonnulli CEPHÆ, quam PETRO, tribuere maluerunt) & quanquam nonnulli sæculo I. ritus Judæorum imitarentur, ut sub Ethnicis tanto securius viverent; PAULUS

LUS tamen in epistola ad *Galatas* praesumptas evertit opiniones, legem Moysis caerimonialem abrogatam, & ad Christianos sacrum foedus cum Abraamo dictum ante legem a Moyse conditam, transmissum esse docuit.

Sect. III.

Jus positivum humanum

- a) Gentium inter se, b) singulorum populorum.

Jus gentium voluntarium (secundarium, particulare) est complexus iurium & obligationum positivarum inter gentes. Alia est decentia G.

Tale est Europaeum, quod inter gentes Europaeas Christianas valet, 1) pactitium, 2) observantia constitutum.

Sect. IV.

Huius existentia adversus SAM. PUFENDORF. CHRIST. THOMASIIUM, GUNDELINGIUM, ROTGERS, aliosque asserta.

- a) Possibilitatem asserit pactorum expressorum, & tacitorum vis inter populos.
b) Ipsam existentiam confirmat agnitio communis talium obligationum positivarum, quam refert historia, & quotidiana testatur experientia.

F

Sect.

Sect. V.

Differentia iuris gentium voluntarii a iure gentium primavo

- a) quoad originem, b) mutabilitatem, c) obligationem iuris voluntarii, quæ obligationi ex iure gentium primavo est subordinata.

Exempla corruptelarum, quæ quondam inter gentes iuris vicem tenuerunt. Adiciemus hic duo: a) Direptio maritima. b) Expeditiones cruce signatorum.

Sect. VI.

Historia iuris gentium voluntarii Europæi.

- a) 1) Florente Monarchia Romana. 2) Ævo barbaro Pontificis Romani in controversiis gentium disceptandis tentata, & quodammodo agnita, iurisdictio. Leguleiorum eo tempore ex Canonibus, & iure Romano, haustæ decisiones. 3) Potiores huius iuris mutationes post pacem Westphalicam: & præsens, tum quoad principia, tum quoad scriptores, tum quoad subsidia, conditio.
- b) Confudit J. G. absoluti & voluntarii fines H. GROTIUS: rexit autem in *comment.* ad ipsum, in prodromo iuris G. & variis disputationibus, H. COCCEJUS.
- c) Bene meruerunt de hoc non minus utili, quam iucundo, studio G. LEIBNIT. in
C. J.

C. J. G. dipl. Cel. SCHMAUSS. in Corp. J. G.
academ. MOSERUS uterque, LUNIG.
ROUSSET, GLAFEY, BYNKERS-
HOECK in quest. J. publ. ACHEN-
WALL, alii.

Sect. VII.

Jus civile singulorum populorum

a) publicum, b) privatum, & hoc quidem pro diversitate finium, in contemplandis legum homogenearum complexibus, multipliciter codividendum, & subdividendum.

Obligatio iuris positivi civilis est subordinata stirpi suae, obligationi iuris naturalis stricti. Lex civilis huic repugnans est irrationalis. Omnis obligationis positivae civilis propior ratio in potestate legislatoris, ulterior in vi legis naturalis strictae, sufficiens in utraque coniunctum, continetur.

b) Lex civilis est vel *mere* talis, quae solas obligationes positivas civiles, in sphaera iuris naturalis stricti non determinatas, complectitur, vel *mixta*, quae obligationes naturales strictas motivis positivis firmat.

c) Omne ius civile oritur ex accommodatione iuris naturalis permissivi ad bonum commune *reipublicae*. Licet enim naturaliter, ut, simulatque te in civitatem cooptari velis, id, quod tuum natu-

rale fuerat, per voluntariam abdicatio-
nem submittas directioni publicæ, eoque
te non ulterius usurum spondeas, quam
quatenus publice expedire; supremæ po-
testati videatur.

Sect. VIII.

Ufus solidæ legum nat. cognitionis in iure
positivo,

- a) constituendo,
- b) interpretando,
- c) applicando,
- d) supplendo.

Contra ea, quantum doctrinis J. N. vel ad
tegendam legum civilium ignorantiam, vel
ad pervertendam earum sententiam, multi
abutantur, in recitationibus ostendetur.



-
e
r
-
s
-
l
i




Fc 2213.

S 8

41





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

FRID. WILH. PESTELII

J. V. D.

EJUSQUE ET PHILOSOPHIAE MORALIS
IN ACADEMIA ERNESTINA P. O.

PROLEGOMENA

JURIS NATURÆ

ET

GENTIUM,

IN USUM AUDITORUM.

Nunquam aliud natura, aliud sapientia, dicit:

JUVEN.



LEMGOVIÆ

APUD VIDUAM MEYERIANAM.

M D C C L V I.